





1710.

1. Mullerus, Cap. Matthaeus : De eo, quod iures  
est circa successores Herzogetticam in Pome-  
rania orientali.

2<sup>a</sup> Schaeppferus, Th. Tractatus : De adiuvio infirmis.  
25 Sept. 1710 - 1741.

3. Schoepffer, Th. Tractatus : De preparacionibus

4. Stein, Matthaeus : De libro de linguis te-

1711.

1. Verhlingius, Th. Fides : De variis imperii vacante  
solis.

1712.

1. Arnd, Iohann : Licitum esse modis loci occupa-  
tio non ex necessitate facta.

2<sup>a</sup> Camerarius, Faustus : De remuneracionibus  
principum erga ministros, prae prius ob  
bona merita. 2 Exempl.

3. Krakewitz, Albertus Tract. ac : De munere confes-  
sionario ab ipse ministerium ecclesiae detinente  
abrogabili.

1712

Y. Mueller, Cap. Matth, fac. jas. pro locum  
Pragmannus quis ad salernia doctoralia fuit. Laurent  
Guttmers invitatus.

5. Mueller, Capenus Matth: De auctoritate  
eiusque preparatoria et effectu in mega-  
poli.

6. Mueller, Capenus Matth: De competente foro  
uris lantum privilegiorum Caesareorum de non  
appellando.

7. Stein, Matthlaus: De dolo praesumptio in  
rebus per se brevibus

8. Stein, Matthlaus: De protestatione secreta

9. Stein, Matthlaus: De synonamia juris cinctis  
et iure canonicis cum iuri foro circa parta.

10. Wunderer, Dr. Fridericus: Tres nubiles ... om-  
nibus congenitam aliquem ... iuritum

1712.

14. Herderius, Fr. Trachten! Tis natural  
ex S. scriptura . . . cognitum et deducendum.

verle!

12. -

1712.

12. Herderus, Dr. Joachim: *Tus naturae . . .*  
*ex natura et ratione . . . ne cognoscere nec det-*  
*cendamus.*

1713

1. Schopern, Johann Christian: *Aristoteles enim sit de*  
*communi in vita ciuitatis sententia?* a) Den die  
Kinder . . . weinen, wann dementsprechend France  
die Milch drückt? b) Den die Kinder mit einem  
Holen gebuhren . . . glücklich seyn . . .

1714

1. Reginus, Franc. Albertus: *M. rectoribus academicis*  
*magnificissimis . . .*





COLLEGIUM  
UNIVERSITATIS JURIDICA  
ORDINIS EST



21b.  
3  
6  
**IOHANNIS IOACHIMI  
SCHOEPFFERI,**

ICti

ET IN ACAD. ROSAR. ANTECESS. CELEBERR. COM. PAL.  
CAESAR. CONSISTORII DVCAL. CONSIL. ET CAN-  
CELLARIAE MECKLENB. VICE - DIRECTORIS  
GRAVISSIMI

---

COMMENTATIO  
DE  
**ADVOCATO  
INIVRIANTE.**

---

Oder  
V o m  
**Schmähenden Advocaten.**



---

ANNO M DCCXL.

JOHANNIS JOACIMI  
SCHOPENHEERI

ET IN ADAM RODA ANTICHRISTUS FRANCIS COM. SVL  
CAROL. CONRADOPH. PAV. D. B. C. T. G. C.  
CITAT. M. E. S. A. N. D. D. I. C. T. O. T. O. Z.  
C. V. A. R. A. H.

COMMUNIATI

AUD. GAST.  
IN. MARIA.

1700

P. B. E.

EXODIUM QVINTI

PRAEFAMEN.

6

Onstitueram Lector Benebole, loco Dissertationis Inauguralis, Polygamiae tam simultaneæ, quam successivæ accuratius, quoisque liceret, inquire materiam; verum cum destinato manum admovissim negotio, adeo prolixam, adeoque singularem hujus materiae inveni tractationem, ut nec brevi commode includi posset dissertationi, nec materiae gravitati observata quotidiana sufficere viderentur, hinc manum retraxi, alii tempori hunc laborem reservatus. Illius autem loco de Advocato quædam differere a proposito & præsenti meo statu haud alienum fore, sum arbitratus, quoniam per DEI & Serenissimi Ducis Megapolitani, Domini mei Clementissimi gratiam in Ipsius Consistorio, quod Rostochii est, Advocati Ordinarii munus sustineo. Hinc commodius dicendi genus eligi vix poterat, quam ejusmodi, ex quo commodum præsens, in præsenti sperare officio licebat. Cum vero varias videre licuerit Dissertationes de Advocatis in genere, actum ut agerem, haud videbatur, quam ob rem unicam tantum particulam ex tam prolixo dicendi campo de Advocatis elegi, tractaturus scilicet de **ADVOCATO INJURIANTE**; de hac enim materia in specie nullam hactenus vidi Dissertationem Juridicam. Quæ ergo sparsim tradita sunt, hic videri licet collecta, proque ingenii viribus disposita, addita ad unam alteramve

A

Juris

Juris Controversiam & quæstionem quali quali mea sententia. Et cum commoda alicujus materiæ distributio ad quæstiones eo facilius evolvendas, non parum conductat, dividere hanc materiam in quinque placuit capita, ita ut Capite I. tractetur de Advocato Injuriante in genere. Cap. II. An Advocato injuriosa scribere permisum sit? Cap. III. De Foro Advocati Injuriantis. Cap. IV. vero de poena, & Capite tandem Vto, an Advocatus, si ob injurias damnum passus sit, contra clientem habeat regressum? Interim cum cepta sine Numinis Summi adoratione, raro ad finem perducantur optatum, hinc flexis D E V M imploro genibus, velit propositum ad finem usque fortunare, quo & hoc ad Ipsius Gloriam concedat.

## CAP. I. DE ADVOCATO INIVRIANTE IN GENERE.

<b>A</b> dvocati Voci Etymologia n. 1.	<i>Advocatorum Synonyma</i>	n. 10.
Late denotat omnem defensorem	<i>Descriptio</i>	n. 11.
n. 2.	<i>Divisio-</i>	n. 12.
Sic Imperator Ecclesia est advoca-	<i>An Advocatus fisci contra fisicum</i>	
tus	<i>verba facere possit</i>	n. 13. seqq.
An etiam Protestantium n. 4. seq.	<i>Qui sint ordinarii</i>	n. 16.
Imperator non est subjectus Pape	<i>Quisque suam cauffam ipse propo-</i>	
n. 7.	<i>nere potest</i>	n. 17. seq.
Quis dicitur Advocatus in jure	<i>Datur fespinanti ad supplicium Ad-</i>	
privato	<i>vocatus</i>	n. 18.
n. 8.	<i>Vt &amp; petenti</i>	n. 19.
Comprehendo sub Advocatis etiam	<i>Ettiam inyitus</i>	n. 20.
Procuratores		n. 21.
n. 9.	<i>Quis</i>	

<i>Quis Advocatus esse possit</i>	<i>n. 22.</i>	<i>Injuria Realis est, si quis invitadet osculum</i>	<i>n. 37. seqq.</i>
<i>An Iudex in Appellationis Instan-</i>		<i>An in corpus?</i>	<i>n. 39. seqq.</i>
<i>tia</i>	<i>n. 23. seqq.</i>	<i>Quid si speraveritis feminam non fore invitam?</i>	<i>n. 46. seqq.</i>
<i>Vnde descendat Injuria</i>	<i>n. 31. seqq.</i>	<i>Injuria verbalis quae?</i>	<i>n. 52.</i>
<i>Quid denoret</i>	<i>n. 33.</i>	<i>An Poetis licitum injuriosa scri-</i>	
<i>Quid injurians</i>	<i>n. 34.</i>	<i>bere?</i>	<i>n. 53.</i>
<i>Synonyma</i>	<i>n. 35.</i>	<i>Quid Advocatus injurians?</i>	<i>n. 56.</i>
<i>Quomodo Injuria dividantur</i>	<i>n. 36.</i>		



E Advocato injuriante acturus, præmitto Rubri explicationem. Advocatus derivatur a præpositione *Ad* & Verbo *Voco*. Adeoque denotat Advocatum seu Ad se vocatum, vel in auxilium vocatum. Christinæus vol. 2. Dec. 99. n. 2. Et in hac lata significatione Advocatus idem est, qui defensor, sive fit in judicio, sive extra judicium. Sic 3 Imperator Ecclesiæ Advocatus est per Capit. Josephi Art. 1. ibi: und Christlichen Kirchen als NB derselben Advocat, in gutem treulichen Schutz und Schirm halten. Circa quem articulum obiter quæro: An Imperator 4 Josephus Protestantium quoque Advocatus dici possit? Hoc extra controversiam, per d. art. 1. positum, quod Advocati officium, quod Imperator gerit, allegari non debeat in præjudicium pacis religiosæ vel profanæ, nec in præjudicium pacis Osnabrugensis, id enim claris in d. art. 1. Capit. Josephi determinatum verbis: noch erst gedachte Advocatia &c. Id vero claris verbis determinatum non legitur, quod Imperator Protestantis

Ecclesiæ Advocatus esse debeat. Nihilominus affirmativam defendo, quia nihil refert, an aliquid expressis verbis in lege contineatur, an vero per bonam consequentiam inde erui, & demonstrari possit. *l. 12. ff d. LL.* Certum vero, quod officium Advocatæ Imperatoris consistat in defensione, per allegata verba *Capit. art. 1.* Ex fine autem dicti art. 1. liquido patet: quod æqualem defensionem Protestantibus præstare velit, ibi: sondern denenselben NB. gleicher Schutz gehalten und geleistet werden solle, wie Wir ihnen den auch solches Krafft dieses versprechen und Unser hienmit dazu verbinden. Cum ergo ipsa defensio debeat Ecclesiæ Protestantium: Advocati officium intuitu Protestantium Imperatorem quoque sustinere dicendum est. Consentit mecum JCrus vere Excellens Samuel Stryck in *Exam. feud. Cap. 4. qu. 41.*

*7* Quam absurdæ vero Papa Clemens V. in *Clem. un. d. jurejur.* hoc juramentum protectionis cum Juramento fidelitatis, quod vasallus Domino suo directo præstat, confundat, hac vice explicare non vacat, sicuti illa omnia, quæ de similibus Advocatis, feudisque Advocatæ adduci poterunt, lubens prætermitto. Addatur Tabor ad *Wes. Disp. 10. qu. 2.*

*8* In Jure vero privato Advocatus vocatur, qui alicui in foro, in causa defendenda adest. Der einem im Gerichte, in seiner Sache beyrähtig ist, und einer Sache defendanten hilftt. *l. 1. §. 11. ff d. extraord. cognit.* ubi ab hoc officio excluduntur conciliatores causarum extrajudiciales, die die Parthenen extra judicium vergleichen. In sensu a. hoc generali Procurator quoque Advocatus dici poterit, licet in Digestis & Codice sub diversis Titulis tractetur de Advocatis & Procuratoribus. In praxi tamen in multis locis Advocati & Procuratores maximam partem conveniunt.

unt. Hinc in præsenti dissertatione nec Procuratores exclusos volo.

Advocati alias patroni vocantur, *l. 1. §. 4. ibi: Patronum non invenit ff. d. postuland.* Oratores causarum, *l. 2. §. 43. ibi: & Causas oranti ff. d. O. J. 1.33. §. 1. inf. C. d. Episcop. & Cler. Causidici, l. Quisquis b. pr. & l. 7. C. d. postuland.* Togati *l. ne quis 3. ibi: ex Corpore Togatorum C. d. Advocat. 1.*

Advocatum describo, quod sit persona, quæ litigantium causas & Jura, in judicio proponit & defendit.

Dividuntur in Advocatos privatorum & fisci. *per tit. 1.2 C. d. Advoc. fisci.* Qui alias patroni fisci, *l. 10. 12. C. de Advoc.* *1. patroni ærarii, l. 8. C. eod. & in quibusdam locis Con-*  
*filiarii fisci audiunt. Circa quos unicum hoc dubium*  
*moveo: An Advocatus fisci, in causa Amici sui consti-* *1.3*  
*tuere possit Vice-fiscalem, ipse vero amictum defendere*  
*valeat contra fiscum? Affir. sententia probabilis videri*  
*poterat ex eo, quod in sua, liberorum, parentum & pu-*  
*pillorum causa contra fiscum patrocinium præstare possit*  
*per text. clarum in l. Hi qui fisci 10. pr. ff. d. postuland.* Ergo  
*colligi posset: ex justa causa Advocatum fisci etiam con-*  
*tra fiscum causas orare posse. Negativa tamen verior, in* *1.4*  
*l. prima enim C. d. Advoc. fisci clare fundatum, quod Advocatus fisci contra fiscum causas orare non debeat. In l.*  
*10. vero pr. d. postuland. exceptio continetur, exceptio vero*  
*in casu non excepto firmat regulam. arg. l. 20. §. 6. ff. qui*  
*testam. fac. poss.* Quod etiam juramento a fiscalis præstito  
*conveniens, quando jurat, se utilitatem fisci, non priva-*  
*torum, observaturum esse. Et licet hac ratione amicum,* *1.5*  
*& forte suavem amittat clientem. Attamen ex l. 34. C. d.*  
*Decur. respondeo: Vile esse, spe lucri negotiis privato-*  
*rum se immiscere, cum quis publicis tantum vacare de-*  
*beat.*

- 16 Advocati privatorum sunt, qui privatorum causas agunt, & hi iterum dividuntur in ordinarios & extraordinarios. Qualia vero privilegia ordinarii habeant præ extraordianariis, cuiusvis loci Constitutiones & Confuetudines demonstrant. Communiter ordinarii subscribunt omnia scripta in judicio, in quo sunt ordinarii, exhibenda, & quando causa oretenus proponenda, ordinarii eam proponunt, vel extraordinarii non, nisi cum ordinarii consensu, admittuntur.
- 17 Quid si vero pars litigans ipsa causam suam sine Advocato proponere velit, an cogi potest, ut Advocatum eligat ordinarium, qui ei adfistat? Nego, quia quilibet homo agere potest aut suo nomine aut alieno, ut sunt verba Justin. *in pr. f. d. his per quos ager. poss.* Nec est quod objicias l. *Quicunque 25. C. d. procur. & Nov. 7.* in his enim textibus continetur exceptio: nisi sit persona illustris, quæ per procuratorem litigare tenetur, ne sua præsentia terreat judicem. Pro eo quoque qui festinat ad supplicium, judex aliquando dare potest Advocatum arg. l. *Non tantum 20. in fin. ff. d. Appellat.* Si vero pars litigans petat sibi adiungi Advocatum, judex ejus petito deferat, quia naturali juri conveniens est, ut is, qui se ipsum defendere nequit, alterius opera tueatur. arg. §. 6. *f. d. Attilian tutor. juncta l. providendum 7. ibi: defensiones copiam C. d. postuland. & l. 14. C. d. Advoc. 1. ibi: laborantium spem, vitam & posteros defendunt.* Ita ut Advocatus quoque invitus dari possit clienti, si in numerum advocatorum receptus sit d. l. 7. *C. d. postul. ibique Brunnem. n. 3. Mynf. Cent. 4. Obs 32. add. Ordinat. Camer. part. 1. tit 19. §. 5. ibi:* Und welchen Advoca-ten oder Procuratoren solche Sachen befohlen werden, der soll schuldig und pflichtig seyn, bey Pein der Entsezung seines Amtes, die ohne Wiederrede anzunehmen. Ita tamen ut se excusa-

causare possit Advocatus, si aliquam probabilem causam se excusandi habeat. arg. *l. fin. ff. d. inoff. Testam. Advocati* 22 vero officio fungi possunt omnes, qui non in specie prohibentur. *l. Mutus* 43. §. 1. ff. d. *Procurat. l. in exceptionibus* 19. §. 2. ff. d. *probat.* Quinam vero prohibeantur, in *ff. tit. de postuland.* & *de Procuratoribus* late tradi solet, quo me in generalibus hisce brevitatis studio remitto, unicam tamen ex illis hac vice, delibare licebit quæstionem:

An scil. Judex in ea causa, in qua sicut Judex, in iudicio Appellationis possit esse Advocatus? quod affirmo, si pro sententia defendenda patrocinium præstet. Judex enim inferior defendere potest sententiam a se latam, quod actis & juri sit conformis, imo ad id tenetur, per *Recess. Imp. d. anno 1054. §. Desgleichen* sollen 60. ibi: *Dass* 24 der Judex a quo seine rationes decidendi mit einschicke. &c. quid vero aliud agit appellati Advocatus, quam quod priorem defendat sententiam, imo ipsius judicis interesse concurrere videtur; ut appareat recte judicatum esse, ut vero omnis cuius interest, admittitur ad sententiam impugnandam, ita multo magis quilibet admittendus est, qui laborat pro sententia defendenda, adeoque judex talis non tantum alii, sed & sibi patrocinium præstare videtur. Franzk. *L. 2. Resolut.* 13. n. 7. Et qui deficit esse Assessor, Advocatus iterum esse potest. *l. ult. pr. in fin. C. d. Assessor.* Et sic judicatum refert Faber in *Cod.* 29 *L. 2. tit. 5. de Postuland. def. 1.* Quem sequuntur Frantz k. d. 1. Mev. ad *Jus Lubec.* *Lib. 1. Tit. 2. art. 13. n. ult.* Umm. in *Proc. Disp.* 2. n. 28. in *fin.* Perez. ad *C. h. t. d. postul. n. 5. in fin.* Hillig. ad *Donellum* *L. 18. Cap. 3. lit. Nn. in fin.* Brunn. ad *l. 6. C. d. postul. n. 6.* Barbosa ad *C. ad d. l. 6. n. 12.* Christinaeus *Vol. 2. Decis.* 101. n. 6. ubi itidem sic judicatum esse refert. Wurmser *L. 1. Tit. 1. Obs. 7. n. 1. &* 2. qui tamen n. 1. addit, melius

melius facere judicem, si abstineat. Cujus tamen nullam affert rationem.

- 26 Equidem in casu converso, is qui Advocatus alicujus fuit, in eadem causa judex esse nequit *L Quisquis 6. pr. C. d. postul. Ordin. Camer. part. 1. Tit. 6. §. 1. add Tit. 19. §. 2. ibi:* Und in Sachen darin sie als Notarien gebraucht des folliciti-  
27 tens, procuritens gänzlich und allerding zu entschlagen. Et licet *d. l. 6 pr. & l. ult. pr. C. d. Assessor.* loqui videantur de casu, si eodem tempore quis judex & Advocatus in eadem causa esse velit. Communis tamen sententia eandem prohibitionem extendit ad eum casum, si quis in aliqua causa olim fuerit Advocatus, quod in ea nunquam pos sit esse judex, Bachov. ad Treutler. *Vol. 1. Disp. 8. tb. 3. lit.*
- 28 *C. Brunn. ad d. l. 6. C. d. postul. n. 3.* Quia præsumitur affectionem ad causam habere. Conspirat die Mecklenb. Lands und Hoffgerichts Ordin. *p. 1. Tit. 4. §.* Würde auch ibi: Würde auch eine Sache fürfallen, darin der Land-Richter oder ein ander Assessor NB. zuvor advocirt oder consulirt hätte &c. so soll derselbe der Sachen mit referiren und correferiren müßig gehen.
- 29 Ex dictis ergo contra decisum *n. 23* datum argumentari licet: Si quondam Advocatus non potest esse Judex, sequitur: quod causa ad priorem judicem remitti non possit, si sententia confirmetur, sed falsum posterius, ex communi praxi, ergo & prius.
- 30 Respondeo tamen id, quod in Rem judicatam transiit, pro veritate habetur, nec ulla ulteriori dijudicatione opus habet, suppono vero, quod judex in secunda instantia causam ultra judicatum non defenderit, regulariter enim in secunda instantia, de causa ulterius judicari non solet, quam, an bene an male pronunciatum sit. Brunem. *ad l. ult. C. d. Appell. n. 7.*

Verum



Verum nē nimium prolixus videar in prima voce<sup>31</sup> explicanda, nunc me ad alteram converto, quæ est *injuriante*. Quæ derivatur a deponente *injurior*, & licet ejus<sup>32</sup> usus apud Classicos autores vix occurrat, usu fori tamen recepta hæc vox est, & descendit ab *injuria*, quæ a præpositione *in* & *jure* composita, cuius in aureo quoque seculo frequens occurrit usus, idemque denotat, quod non jure factum. *pr. J. d. Injur. l. 1. pr. ff. eodem.* simili ratione testis *injuratus* dicitur i. e. non *juratus*.

Et in hac significatione, *injuriæ* significatio est gene-<sup>33</sup> ralior, & continet omne delictum. *Harpr. ad pr. J. d. Injur. n. 3. in fin.* Si vero stricte capiatur, denotat id, quod in contumeliam alicujus fit. *d. pr. J. d. injur.*

Et in posteriori significatu, hic utimur voce *injuria*<sup>34</sup> & *injuriante*, ita ut *injurians* sit, qui aliquid dicit, scribit vel facit ad aliorum contumeliam *l. 15. §. 27. ff. d. injur.* qui<sup>35</sup> etiam conviciator, calumniator, *l. 13. §. 3. ff. d. injur.* diffamator vel infamator dici posset *l. 18. pr. ff. d. injur.* ibi: *infamavit.* Qui aliquem *injuriis* proscindit, famæ læsionem infert, vel pudorem alicujus fugillat, vel convicium facit. *§. 1. J. d. Injur.*

*Injuriæ* vero varie in jure nostro dividuntur, quod<sup>36</sup> scil. fint vel Reales vel verbales. Reales inferuntur facto aliquo, idque vel *in corpus*, verberando vel pulsando, *l. 1. §. 2. & l. 5. pr. ff. d. injur.* vel *extra corpus*, si v. gr. domum alicujus vi introcet. *d. l. 5. §. 2.* Si manus adversus aliquem levet, quasi verberaturus. *l. Item apud 15. §. 1. ff. de injur.*

Ad realem quoque *injuriam* reterri video, si quis vir-<sup>37</sup> gini invitæ osculum rapiat. *Theodoric. Colleg. Crim. Cap. 2. aph. 16. lit. F. n. 13.* Althusius in *Diccol. L. I. Cap. 125. n. 31.* Strauch. *Exercit. Justin. 19. tb. 14.* Et extraordinarie talem deosculantem puniendum esse, docent Cothman. *Vol. I. Con-*

- 38 *Consil. 15. n. 168. Stryck. de jure sens. Diff. 7. Cap. 5 n. 13.* Tantisque JCTis merito subscribo, si constet de osculant, puerlam esse invitam, datur enim actio injuriarum, si quis re nostra; nobis invitis, uti velit. *I. Qui in domum 23. ff. d. injur. juncta. l. Dopus Pius 16. ff. d. S. P. R.* Quanto magis dabitur actio injuriarum, si quis corpore nostro uti velit, nobis invitis.
- 39 *An vero hoc casu raptor injuriam in corpus, an extra corpus inferat, haec tenus discussum non inveni.* Si scripturæ ordinem sequi velis, Excell. Dn. Hopp. *in Comm. ad §. 1. f. d. injur.* hanc injuriam refert ad illas, quæ extra corpus inferuntur, nam inter injurias, quæ sunt ficas faciendo, & eam quæ fit manus levatione, haec de osculo invitæ dato interseritur, & exemplis, quibus extra corporis infertur injuria, subjungitur. Mihi vero probabilior videtur sententia, quod haec injuria fiat in corpus. In corpus enim fit, cum quis pulsatur, sunt verba *I. §. 2. ff. d. injur.* pulsare vero est sine dolore cädere. *I. Lex Cornelia 5. §. 1. ff. d. t.* Atqui violentus osculi raptor os vel genas labiis suis pulsat, ut ut sine dolore, ergo in corpus virginis injuriam infert. Quod si salivam tibi moveat haec quæstio, dicendo: quo effectu haec spinofæ subtilitates haec tenus a nullo motæ tendant? cum nihil in effectu intersit, an injuria *in corpus*, an *extra corpus* a raptore osculi illata sit. Respondeo: Non tantum distinctionem datam a Doctoribus communiter approbatam esse, adeoque constare debere, quæ injuriæ ad hanc vel illam speciem referenda sint, sed sua quoque constare utilitate, si enim injuria fiat pulsando, Lege Cornelia vindicatur *I. Lex Cornelia 5. pr. ff. d. Injuriis*, reliquæ vero injuriæ hac lege noti notantur *d. l. s. pr. ibi: ex tribus causis.* Exceptio ergo in casu non excepto firmat regulam, arg. *I. Qui Testamen-*

ſlamento 20. §. 6. ff. qui teſtam. fac. poſſit. Hinc ſequitur, int. 43  
 juriam, quae fit extra corpus, L. Cornelia vindicari non  
 poſſe. Hujus vero effectus eſt, quod actio injuriarum ex  
 L. Cornelia duret per triginta annos, ſi ſcil. civiliter aga-  
 tur pr. J. d. perpet. & temp. abſ. Per viginti vero annos, ſi 8.  
 criminaliter agatur. L. 12. C. ad L. Cornel. d. falf. Actio 44  
 vero injuriarum Prætoria, quæ reliquas vindicat injurias,  
 tantum per anni ſpatium durat. l. ſi non ſ. ibi: Et ex eo  
 die annus excessit C. d. injuris. Si vero dictis opponas,  
 mihi proprie de oſculante invitam virginem, dici poſſe:  
 quod eam cædat, reſpondeo ſub pulſare & cædere etiam  
 tundere continentur, ſiquidem tundere, percutere, pulſa-  
 re, ſynonyma ſunt. Theodoſ. Trebell. in Promtuar. Lingua  
 Latin. ſub Voce tundo.

Incident quidem circa hunc oſculi raptorem, an ſæpius 45  
 quaſſando labia vel genas puellæ invitam, gravius puniri,  
 vel pro quovis oſculo separata actione convehiri poſſit?  
 ſed propositum aures mihi vellicat monendo: me in ge-  
 neralibus adhuc versari, ergo filum abrumpendum eſſe,  
 ne extendatur in infinitum, interim videri poterit l. 7. §.  
 5. ff. d. Injur. ibique DD.

Haec tenus de eo caſu locutus ſum, ſi conſtet deoſcu- 46  
 lanti, puellam vel feſtiminam eſſe invitam, quid ſi vero  
 raptor crediderit tamē rapinam bona gratia ſpoliatæ  
 committi? Affirmativa ex eo probabilis videtur, quia  
 oſculum dans prius explorare debuit, an deoſculanda  
 perſona conſensura fit. arg. l. Qui cum alio 19. ff. d. R. J.  
 Alias ſcire debet, quod is qui attentat alicuius pudici-  
 tiam, actione injuriarum teneatur §. 1. ibi: pudicitia atten-  
 tata. J. d. Injur. l. 1. §. 2. ibi: cum pudicitia attentatur ff. eod.  
 Oſculo enim delibatur virginitas arg. L. ſi a ſponſo 16. ibi: 47  
 interveniente oſculo C. d. Donat ante nupt. Delicati enim

hac in parte fuerunt Romani, uti fere adhuc sunt Itali, ita ut actionem injuriarum concederint, si quis comitem sc̄minæ abduxerit l. Item apud 15. §. 15. seq. ff. d. Injur. vel sc̄minæ pudicitiam blanda oratione appellat. d. l. 15. §.

48 appellare 20. ff. eodem. Vel si sc̄minam adsectetur, h. e. si tacitus frequenter sectetur d. l. 15. §. 22. adjecta ratione hac: assidua enim frequentia quasi præbet nonnullam infamiam. Quod juxta hodiernos mores effero: Er brin⁹ get das Mensch in einen bösen Beruff. His tamen non moveor in affirmativam, quin potius masculi rei advocatus forem, dicendo: Qui colludendi vel officii honeste faciendi gratia osculum dat, actione injuriarum non tenetur. arg. L. Item apud 15. §. Meminisse 23. ff. d. Injur. Atqui Juvenis, qui ignorat sexum sequiorem esse invitum, osculum hoc animo dat, ergo injuriarum non tenetur. add. d. illud relatum 3. §. 3. ff. b. ibi: si quis per jocum percūtiat, (osculum det) aut dum certat, injuriarum non tenetur.

50. Ad l. 16. C. d. Donat. ante nupt. repono id, quod Goth. ad h. l. notat lit. mihi H. Sed bac omnia apud Gallos (Germanos) locum non habent, apud quos osculo (sc̄. boneſlo) pudicitia delibari non creditur. Reliquæ Leges restrainingdæ ad casum, si adversus bonos mores osculetur. arg. d. l. 15. §.

51 20. ff. d. Injur. Osculum enim est res indifferens, & in Germania, inter Germanos frequens, quoties ergo verfamur in dubio, præsumitio semper in meliorem partem capienda, ad summum, raptor osculi jurejurando firmet, se sperasse sc̄minam non fore invitam. Id tamen moneo, circumstantias, ut in omni factō, sic etiam in rapina osculi, probe esse considerandas, ex his enim quandoque colligere potuisset & debuisse raptor, a tali sc̄mina non nisi invita osculum rapi.

Cum

Cum vero hæc deosculatōnis materia me fere invi-<sup>52</sup>  
 tum diutius quam proposueram, detinuerit, redeo ad al-  
 rum divisionis membrum supra n. 36. propositum, quod  
 scil. injuriæ sint aliæ verbales. Hæ sunt, quæ vel ore vel  
 literis proferuntur *l. i. §. 1. ff. d. injur. ibique DD.* Injuriæ  
 literis prolatæ, si famosum contineant delictum, specialiter  
 dicuntur famosus libellus *Rr. ff. d. injur. & fam. libell. l. un.*  
*C. d. famos. lib.* ubi grauissima huic delicto constituta pœ-  
 na, addatur *Constit. Crim. Art. 110.* Circa injuriam scriptam <sup>53</sup>  
 unicam hanc delihare licebit quæstionem: An Poëtæ  
 ob carmina Satyrica actione injuriarum teneantur? Neg.  
 defendit Harpr. *ad pr. J. d. Injur. n. 27. & 28.* adjectis versi-  
 bus Horatii, cui addi posset vulgatum illud: Pictoribus  
 atque Poëtis omnia licere, rationem addit Harpr. *d. l.* quia  
 talia scripta animo corrigendi & emendandi fuerint scri-  
 pta. Eandem hanc admitto sententiam, quando vitia in <sup>54</sup>  
 genere sunt descripta, quoties vero apparet, quod carmen  
 in alicujus contumeliam sit scriptum, toties sine hæfita-  
 tione actionem injuriarum dari statuo *§. 1. J. d. Injur. ibi:*  
*aut Carmen aut historiam scripserit*, ut sic invita Jurispruden-  
 tia dicatur Poëtis omnia licere. add. Rec. Imp. d. anno 1567. *§.*  
*62.* Plura de injuriis non addo, sed me ad *ff. & C. tit. Injur.* <sup>55</sup>  
*ibique Dres.*, remitto. Licet non videatur penitus alien-  
 num, remedia lustrare, quibus injuriæ vindicantur, quia  
 tamen ubivis obviâ & tractatio nimis foret prolixa, hic  
 subsisto, adjiciens aliqualem Rubri descriptionem: Ad-<sup>56</sup>  
 vocatus injurians est persona, quæ aliorum lites in Judi-  
 cio proponit, & in contumeliam aliorum quædam dicit  
 vel scribit.

**CAP. II.**  
**TRACTANS AN ADVOCATVS**  
**IN JVRIIS VTI POSSIT.**

SVMMARIA.

<b>A</b> N Advocatus uti possit injuriis?	Respondeatur ad contraria n. 16. seqq.
Ratio pro affirm.	n. 1. seqq.
Dolo uti potest.	n. 8. seqq.
Negativa verior.	n. 11. seqq.
Probatur claris legibus & constituti-	n. 24. seqq.
tionibus	n. 13. seqq.
	n. 28. seqq.

**Q**Væstio præjudicialis merito nunc præmittenda: An Advocato liceat injurias in adversarium dicere vel scribere? Affirmativa defendi posset ex *I. quisquis 6. S. ante omnia i. C. d. postul. ibi: non ultra, quam litium poscit utilitas, in licentiam conviciandi & maledicendi temeritatem prorumpant.* Quibus verbis Advocatis conceditur, quatenus litium poscit utilitas, conviciis uti. Quæ sententia non est nova & inaudita, sed Tacitus de Orator. jam scripsit: *Advocatos offendere, aut necessitate officii, aut fide Advocatis, aut fortuitæ aut subita dictiōnis impetu, sed & magna impunitate peccatum.* Speckhan. Cent. 2. Class. 4. Qu. 40. n. 21. 3 Nec ipse Cicero, eloquentiae parentis, ab ista conviciandi & maledicendi licentia sibi temperare poruit, ut variae ejus orationes demonstrant. Advocati enim officium sua natura exigit, ut sui clientis causam rationibus firmet, adversarii vero fundamenta enervet, quem finem verbis honoris atque mollibus obtainere nequit, sed durioribus 4 quandoque verbis utendum est. Sicuti ergo in Magistratu, parente atque præceptore, animus injuriandi non præsumi-

sumitur; l. Injuriarum 13. §. 6. ibi: que jure potestatis a Magistratu sunt, ad injuriarum actionem non pertinent ff. d. Injuriis l. Prator edixit. 7. §. 3. ff. eod. l. sed & s. 5. ult. ibi: injuriarum quidem actionem non competere ff. ad L. Aquil. Ita nec in s Advocato, vel defensore animus injuriandi praesumti potest, quia & hunc officii necessitas excusat. arg. l. Tutorum 22. ibi: Officii necessitas excusat a esse debet ff. d. bis que ut indign. Imo licet atrocius quid dixerit vel scriperit, attamen animus injuriandi absuisse censendus est. d. l. 7. §. 3. d. injur. ibi: non competit, etiam si atrocior fuerit. d. l. 5. §. ult. ff. ad L. Aquil. ibi: forma calcei cervicem percussit, ut oculus pueru perfundetur. Hinc est, quod Advocati saepius, sine sua culpa, male audiunt, adversarius enim, in cuius praejudicium tendunt, quae ab Advocato proferuntur, ut plurimum ægre audit, & credit advocationem adversarii suu in causa esse, quod victoriam non reportaverit. Imo clientes ipsi 7 haud raro urgere solent, ut Advocationis adversario, ejusque patrono, convicia remittat, Et sol ihm wieder was auff den Pels geben. Si ergo talia negligat, causam ex debito non defendisse creditur, & sic saepius contra voluntatem convicii, ex officii necessitate uti necessarium habet, sic mussen öfters die Feder wieder Willen scharff spiezen. Modo non ultra. quam litis utilitas expostular, in conviciandi licentiam prorumpant, ut scribit Oldr. Cons. 52. n. 3. Surd. L.

1. Dec. 89. n. 25.

Imo alii eosque progrediuntur, ut Advocato permit- 8 tant, in bona causa, ad convincendum adversarium fallaciis & deceptionibus uti. Mynsing. Cent. 3. Obs. 6. Parlador. L. 1. rer. quot. n. 17. Tiraquell. in Prefat retract. n. 71. Covarruv. L. 1 Var. Resol. Tom. 2. Cap. 2. n. 1. sq. Umm. in proc. Disp. 2. tb. 8. Hillig. ad Donell. Lib. 18 Cap. 3. lit. llu. Winther in Parthen. litig. L. 2. Cap. 6. n. 5. Lex enim ita detestatur 9 mali-

malitiam, ut sicut clavus clavo traditur, ita litigiosam, malitiam, malitia tolli posse concedat. *Winther d. l. n. 5.*  
 illud enim Virgilii:

*Dolus an virtus, quis in hoste requirat.*

*in Can. Dominus 2. Caus. 23. qu. 2. approbatum, ibi: utrum aperta pugna, utrum infideli vincat, nihil ad iustitiam interest.*  
*Imo trahunt hue illud Apostoli Pauli 2. ad Corintb. 12. vers. 16. ibi: Dieweil ich tückisch war, habe ich euch mit Hinterlist gefangen. Nec dolo facere videtur, qui fraudem excludit.*  
*l. cum pater 77. §. Titio fratri in fin. ff. d. Leg. 2. quæ in casibus singularibus firmare præsens propositum non sinit.*

*10 Sub fallaciis vero & deceptionibus comprehendunt quoque poterunt convicia adversarii. Hinc est quod Ulpian. Proconsules monet, ut Advocatos patienter audiant l.*  
*Nec quicquam 9. §. 2. ff. d. offic. Procons. ibi: circa Advocatos patientem esse Proconsulem oportet.*

*11 His tamen similibusque parum moveor, ut affirmativæ subscribam sententiae, quin potius negativam omnijure defendandam esse existimo. Quia conviciandi licentia contra octavum Decalogi præceptum, & contra præceptum juris naturæ, quod nemo sit laedendus, utpote quod præcipue concernit proximi vitam, & famam.*

*12 Nec non contra Rubricam ff. Quod quisque juris in altero statuerit ut ipse eodem jure natatur. Nemo autem benevolo animo audit convicia in eum projecta, ergo nec alios iis onerare debet. Injuria quoque delicti species est, quicquid vero in alterius contumeliam sit, vel dicitur, est injuria, l. item apud 15. §. Generaliter retuit Praetor. 27. ff. d. In-*

*13 jur. Id quod clare in l. Quisquis 6. §. 1. ff. d. postul. dispositum. Et in Constitutionibus Imperit repetitum, ut ex Ord. Cameral. d. anno 1555. P. 1. Tit. Von der Advocaten und Procuratorn Amt §. 2. ibi: Es soll auch ein jeder Procurator*

*Schimpff*

Schimpff: Wort vermeiden, und niemands, weder Mündlich noch Schriftlich schimpfen, sondern seine Sachen züchtig fürtragen. Constitutiones provinciales prætereo, præter 14 Ordin. Provinc. Mecklenb. in cuius p. 1. Tit. 6. Von Advo-caten idem dispostum §. Es sollen die Advocaten ibi: der Sachen wahre Nothdurft mit Glimpf und Bescheidenheit setzen, alles Calumniens, schmähens, schimpfens und hizigen Anstechens sich allerdinge eussern. Et §. die Procuratori ibi: Auch Glimpfs und Bescheidenheit sich befleisigen, das Gericht 15 der Gebühr respecturen, alles Calumniens, schmähens, Schimpfens und hiziger Anzüge gegen ihre Wiedertheile und dessen Anwälde sich eussern.

Ex qua geminata repetitione tanto clarius de mente 16 Serenissimorum disponentium constat. Ad argumenta in contrarium adducta repono: & quidem ad l. 6. §. 1. C. d. postul. distinguendum esse, an causa ipsa ita sit comparata, ut famam adversarii stigillet, sic verbis insamantibus, quantum causæ necessitas vel utilitas postulat, uti licet, arg. d. l. 6. §. 1. ibi: quam litum poscit utilitas, v. g. si contra 17 aliquem instituat actionem furti vel injuriarum, Advoca-tus verbis atrocitatem facti indicahtibus uti non prohi-betur. Præter necessitatem vero & utilitatem causæ con-viciis uti non debet, uti in ipsa l. 6. §. 1. C. d. postul. in ver-bis sequentibusclare disponitur, ibi: agant quod causa de-siderat, temperent se ab injuria. Ad Taciti aliorumque di- 19 eta respondeo cum Proculo: Non spectandum est, quid Romæ factum, quam quid fieri debeat l. Sed licet 12. ff. d. officio Präsid. Nec argumentum a Magistratu desumtrum stringit, quia nec ipse Magistratus ab actione injuriarum est immunis l. Nec Magistratibus licet aliquid injuriose facere 32. ff. d. Injur. ibi: Injuriarum potest conveniri.

Ad dubium n. s. propositum respondeo: officii ne- 20

- cessitatem excusare Advocatum, si causæ necessitas vel utilitas verba duriora postulat, v. g. Si persona inhonestata contra aliquem ut testis producatur, advocatum excusat officii necessitas, si turpitudinem hujus testis detegat.
- <sup>21</sup> Simili ratione, si frater præteritus & turpis persona instituta sit contra *I. Fratres* 27. *C. d. inoff. test.* illius turpitudo <sup>22</sup> necessario & utiliter monstrari potest & debet. Extra causæ necessitatem & utilitatem officio advocati minime congruit injuriosa contra adversarium proferre, uti probatum *n. 11. seq.* Nec congrue argumentum ab informatore duci potest ad Advocatum, quia illa modica corre <sup>23</sup> ctio permitta, non vero Advocato. Adeoque nec prætensa necessitas, nec mandatum clientis moveat Advocatum injuriosa præter causæ necessitatem & utilitatem <sup>24</sup> proferre. Stryk. *in caut. contract.* *s. 1. c. 3. §. ult.* Nec illorum subscribo sententiae, qui putant Advocatum in bona causa uti posse dolo & fallaciis, *vid. n. 8.* quia non solus finis sufficit ad justitiam causæ, sed etiam media rite debent esse comparata, alias non minus peccat, qui rem justam facit injuste, quam qui injustum facit. Et plerique advocati credunt suas causas esse bonas, ergo plerumque fallaciis & mendacis uti possent, & sic latus peccandi campus aperiretur. Bachov. *ad Tr. V. 1. Disp. 7. tb. 3. lit. A. in fin.* Nec excusatio est, si quis injuste agere velit, quia adversarius quoque agit, quod justitiae regulis conveniens non est.
- <sup>25</sup> Et hanc sententiam recte defendunt Gœdd. *ad I. 177. ff. d. V. S. n. 7. & 8.* Winther *in Parth. litig.* *L. 2. Cap. 6. n. 7.* Carpzov. *p. 1. C. 1. def. 8. n. 6. seq.* Struv. *in Synt. jur. Civ. Exerc.* *7. tb. 8.* Joh. a Sande *ad I. 65. ff. d. R. J.* Nec fundatum in jure nostro, quod malitia malitia repelliri possit, utut enim paria delicta, mutua pensatione dissolvantur, *I. Viro atque uxore*

uxore 39. ff. sol. matrim. l. 36 ff. d. dol mal. si scil. agatur ad privatum interesse, nunquam tamen mutua delicta approbantrur, sed singula a Magistratu puniuntur. Si vero 26 dolus adversarii excludendus, licetis mediis excludendus est. Nec Paulus Apostolus in convertendis Ethniciis do-  
lo & mendaciis, sed mediis licitis usus est, se accommo-  
dando ingenio ethnicorum, uti se explicat 1. ad Corintb. 9.  
v. 20. seq. Adeoque nec judex patienter audire debet Ad. 27  
vocabum delinquentem, quia ejus officium est mala pu-  
nire. l. 13. ff. d. off. Presid. sed patienter audire debet ad-  
vocatum perorantem fundamenta clientis sui, quibus a-  
ctionem vel firmat, vel elidit; alias convicia advocatorum  
in contemptu ipsius Judicis tendere videntur, verum Ju-  
dex se coitempi non patiatur, ut elegans lex, observandum  
19. pr. ff. d. offic. Presid.

Quid vero de irrisionebus & ironiis dicendum, an his 28  
uti licet in Judiciis? negativa mihi arridet, quia tendunt  
in contumeliam adversarii, & nihil conducunt ad verita-  
tem detegendam, adeoque in Ord. Cam. p. 1. Tit. Von den  
Advocaten §. 2. sub voce: Stumpfren. Et in Ordin. Prov.  
Mecklenb. ibi: h̄zigen Anstechens prohibitæ mihi videntur.  
In terminis mecum consentit Dn. Stryck. Diff. d. Conf. 29  
Advoc. Cap. 3. n. 45. & 46. quæ vol. 2. est Diff. 13. Nec pe-  
nitus alienum ab hoc loco considerare: an advocoato lici-  
tum sit, adversarii advocabum ad iram provocare, quia  
multi ira commoti, apte suas cogitationes proferre ne-  
sciunt, wenn sie böse werden, können sie sich mit Reden nicht  
behelfsen? quod ex iisdem fundamentis nego, nihil enim  
a justo causarum patrono studio, hoc fine, suscipiendum,  
ut veritatem supprimat. Hinc recte Hillig. ad Donell.  
Lib. 18. Cap. 3. Lit. Aaa. pravum tale speculatoris vocat  
consilium. Alia vero quæstio: an Advocatus revelare 30  
C 2 debeat

debeat secreta causæ? quod negatur *in Ord. Cam. p. 1. Tit. 64.* der Advoçaten Eyd. ibi: Darzu Heimlichkeit und Behelf, so sie von den Partheyen empfahen oder Unterrichtung der Sachen, die sie von ihnen selbst mercken werden, ihren Partheyen zum Schaden, niemand offenbahren. De qua materia, cum pluribus egerit Excell. Dn. Stryck. Vol. 3. Disp. 8. de Credentie revelat. Cap. 2. n. 26. seqq. eo me remitto. Mihi sufficit: licitum esse aliquando veritatem non revelare, nunquam vero licitum esse veritatem supprimere.

## CAP. III.

DE  
FORO ADVOCATI INVIRIANTIS.

## SUMMARIA.

<b>A</b> ctor adire debet Judicem com-	Quoties plura sunt fora, toties
petentem n. 1. sq.	actori datur eleçio n. 17. seq.
Qualis Judex originis n. 4. sq.	Licet actor provocetur ex l. Diffamari. n. 19. seq.
Hodie hoc forum mutatur n. 6.	Forum delicti competens n. 21.
Attamen non omnes cessant effectus	Etiam in delictis extraordinaria
originis n. 8.	pœna coercendis. n. 24.
Advocati solent mutare originem	In injuria scripta locus insinuatio-
n. 9.	nis attenditur. n. 25. seq.
Originis forum mutatum non pre-	An et absens hoc casu citari possit?
fumitur. n. 10.	n. 27. seq.
Si non mutatum adhuc obtinet.	Advocatus in foro injuria insinua-
n. 11.	ta conveniri potest. n. 33. seq.
Forum domicilii competens & gene-	Licet sit absens. n. 35.
rale n. 12. sq.	Vel in superiori judicio advocatus
In duobus locis quis potest habere	sit ordinarius. n. 36.
domicilium n. 14.	Dubium removetur, n. 37.
Quid requiratur ad domicilium	
constitendum? n. 15. sq.	

Idem-

*Idemque juris, si judex de injuria possunt, licet nemo urgeat. n. 41.  
sibi illata pœnam urgeat. n. 38. sqq.*  
*Ex officio injuriæ advoc. puniri tendit. Forum deprehensionis non solet at-*  
*n. 45. seq.*

**Q** Vicunque actionem in judicio instituere constituit, probe secum perpendat, coram quo agere velit iudice, si enim incompetenter adeat, & reus oponat exceptionem judicis incompetentis, & tempus & operam & expensas perdit. Gail, *L. 1. Obs. 34.* Carpz. *L. 2. Resp. 10.* Imo quandoque causam perdit, si adeat Judicem prohibitum. *I. In criminali 5. C. d. Jurisd.* cuius exempla apparent in *Auth. Statuimus C. d. Episcop. & Cleric. Cap. 12. X. d. for. com-*  
*pet. Auth. Habita C. Ne filius pro Patre.* Adde Quirin. Schacheri *Colleg. Pract. ff. tit. d. Exception. fol. mibi 414. & mult-*  
*sqq. ubi hanc & alias exceptiones tractat per exceptio-*  
*nes, replicas, duplicas, triplicas, & quadruplicas.* Licet in Camera Imperiali in dilatoriis non procedatur ultra duplicam. *Ordin. Camer. Part. 3. Tit. 26. §. 2.* Hinc admodum utile, imo necessarium est cognoscere, quale Rei forum sit competens.

Utut vero Jure Romano forum originis admodum sit generale, ut in eo omnis actio contra aliquem institui potuerit, *I. 6. pr. ff. ad Municip. l. 1. C. d. Municip. & Origin.* licet imperato rescripto Principis, domicilium alio transtulerit, *L. ult. C. d. Municipibus* adeoque immutabile fuerit, *I. 4. & 5. C. d. Municip. & Origin. d. l. 6. pr. ff. ad Mu-*  
*nicip. excepta fœmina, quæ nubendo sequitur domicilium* mariti, ut forum originis amittat, *I. 38. §. 3. ff. ad Municipal.* ibi unde originem trahit, non cogi muneribus fungi. Quod etiam secundo matrimonio mutant *I. ult. C. d. Incol.* Hodie & tamen, quando liberi sibi certum domicilium in alio loco eligunt, cessat forum originis quoad jurisdictionem &

plerosque effectus, scil. quoad honores, munera, jus suc-  
7 cessionis in mobilibus, in his enim omnibus cessat effectus  
fori originis, postquam civis originarius alio domicilium  
transtulit. Gail. L. 2. Obs. 36. n. 7. Zanger. d. Except. p. 2.  
Cap. 1. n. 76. Cothm. Vol. 2. Consil. 73. n. 38. Mev. part. 3.  
Dec. 71. n. 2. Struv. in Synt. Jur. Civ. Exerc. 9. th. 19. ibique  
alleg. Steph. d. Jurisd. l. 1. Cap. 28. n. 61.

8 Notanter vero scripti, *quoad plerosque effectus*, nam  
nec hodie omnia effectum fori originis cessare, gravis  
sententia pœnae capitalis contra Dn. Patkul lata & anno  
1708. in Polonia executioni mandata, ut & sententia con-  
tra Dn. Peikul in Svecia lata, exemplis sat tristibus pro-  
barunt. Reverentia enim patriæ debita, adhuc manet  
salva, licet quis forum mutasset, ut in terminis docet  
9 Herold. ad *Langii process.* Cap. 33. n. 27. Cum vero quoad  
præsentem materiam, advocati ut plurimum certum sibi  
domicilium constituere soleant, ergo si a loco originis sit  
diversum, in eo Advocatus injurians conveniri non pot-  
est. In dubio tamen forum originis mutatum non præ-  
sumitur. Mev. P. 3. Dec. 71. Engelbrecht ad ff. tit. d. Judic.  
§. 10. Cothm. Vol. 2. Consil. 73. n. 41. ibique alleg. Struv. Synt.  
Jur. Civ. Exerc. 9. th. 19. ibique alleg. adeoque affirmanti  
mutationem incumbit probatio. Lauterb. in *Colleg. ff. tit. d.*  
Judic. §. 43. Struv. d. th. 19. in fin. Zanger. d. Except. p. 2.  
C. 1. n. 10. sqq. Quoties vero mutatio fori originis non  
probatur, toties adhuc obtinet forum originis. Brunnem.  
ad L. 33. ff. ad Muncip. Illuстр. Dn. de Lyncker Dec. 1246.  
Dn. Præses in *Synops. tit. d. Jud.* n. 12.

11 Secundum forum advocati injuriantis est forum do-  
micii, in hoc enim omnis actio sive sit realis, sive sit  
personalis, contra aliquem institui potest, Lauterb. in *Col-*  
*leg. ff. tit. d. Judic. §. 46.* Brunnem. ad l. 19. ff. de *Judic.* n. 29.  
Carp-

Carpzov. in Proc. Tit. 3. art. 1. n. 46. seqq. Struv. in Synt. jur. Civ. Ex. 9. tb. 35. Paurmeist. d. jurisd. Lib. 2. Cap. 9. n. 113. Adeoque Advocatus injurians in foro domicilii conveniri i 3 potest, L. 1. C. ubi d. Crimin., sive contra eum agatur ci- viliter sive criminaliter; Umm. in proc. Disp. 4. n. 12. sive agatur contra eum per modum accusationis, sive agatur per modum inquisitionis, magistratus enim do- micilii de delictis alibi a cive commissis inquire & co- gnoscere potest. Mev. p. 4. Dec. 176. n. 5. seq. & part. 5. Dec. 299. n. 1. seq. Consil. Marpurg. Vol. 1. Consil. 16. n. 43.

Cum vero contingere possit, ut quis in duobus civi- i 4 tatibus habeat domicilium, per L. Labeo 5. l. Assumptio 6. §. 2. & l. ejus 27. §. 2. ff. ad Municipal. si scilicet animum ha- beat, in utraque Civitate commorandi, vid. pluribus Carpzov. L. 2. Resp. 24. n. 3. Gail. L. 2. Obs. 35. n. 8. Tiraquell. d. Nobil. Cap. 37. n. 131. Stephan. d. Jurisd. L. 1. Cap. 28. n. 51. quod tamen difficile d. l. 27. §. 2. ibi: licet difficile est. ad i 5 domicilium enim constitendum non sufficit sola habita- tio, sed requiritur, ut hoc animo fiat, quod ibi subsistere velit, donec quid avocet. L. Cives ibi: non sit discessurus, si nibil avocet C. d. Incolis.

Nec sufficit, si quis in aliquo loco foctum & ignem i 6 teneat, Germanis: Eigen Rauch, Feuer und Licht halten, ut pluribus docet Zanger d. Except. part. 2. Cap. 1. n. 16. seq. Quia sola domus possessio, qua in aliena Civitate com- paratur, domicilium non facit L. Libertus 17. §. 13. ff. ad Municipal. l. cum neque 4. C. d. Incol. Si tamen de animo, i 7 in utroque loco domicilium constituendi, certo constat, actori electio conceditur, in quo loco contra advocationem injuriantem agere velit. Struv. in Synt. Jur. Civ. Exerc. 9. tb. 26. in fin. Zanger. de except. part. 2. Cap. 1. n. 95. Hillig. ad Denell. Lib. 17. Cap. 12. lit. G. Matth. Stephan. d. Jurisd. L. 1. Cap.

- 18 Cap. 28. n. 89. Imo hæc regula generalis est: quoties reus in pluribus locis, licet ex diversis causis, sortiatur forum, attamen electio datur actori, in quo loco velit agere, dicti DD. Hinc commendat excell. Dn. Stryck *in Introduct. ad prax. Cap. 1. §. 30. in fin.* actori, ut commodis-
- 19 simum sibi eligat forum, rei tamen competens. Id quod etiam in eo casu locum habet, si quis ex L. Diffamari, vel L. Si contendat cogatur ad agendum, sic enim in foro eo, in quo ad agendum compellitur, præcise agere non tenetur, sed sufficit, si in alio foro rei competente actionem illam instituat; ad quam ad agendum fuit coactus. Rhetius *in Inst. jur. publ. Lib. 4. Tit. 12. §. 9. & 10.*
- 20 Herold. *ad Lang. process. Cap. 31. n. 26.* Ita ut nec exceptio præventionis, nec exceptio connexitatis causæ, actorem in alio rei foro agentem repellat. Herold. *d. l. n. 27.* Zanger. *d. Except. part. 2. Cap. 13. n. 14. seq.* Ubi con- & dissentientes adduxit. Gail. *L. 1. Obs. II. n. 3.* cuius tradita repetit Grævæus *L. 1. Conclus. II. n. 3.*
- 21 Tertium forum Advocati injuriantis est forum delicti, seu illatae injuriæ locus. Nam in delictis attenditur & locus inchoati & consummati delicti *L. 1. C. ubi de Crim. Brunnem. in process. Inquis. Cap. 3. n. 14.* Engelbrecht. *ad ff. tit. d. judic. tb. 15.* Si v. gr. Titius in confinio Ducatus Mecklenburgici stet, & occidat Meyium scloperti ejecione, qui in confinio Ducatus Pomeranici stetit, & judex terræ Mecklenburgicæ & judex Pomeranicus, inquirere in delictum potest. Ekholt. *ad ff. tit. d. Accusat. §. 4.* Fransk *ad ff. tit. d. judic. n. 41.* Lauterb. *in Colleg. ff. eod. tit. §. 50.*
- 22 Simili ratione, si quis in hoc loco virginem rapiat, & in alio loco stupret, uterque locus est delicti commissi. Brun-
- 23 nem. *ad l. 1. C. ubi de Crimin. n. 15.* Id tamen moneo, jure Romano, hoc jus non restringi ad crimina capitalia, sed

sed etiam in illis, in quibus obtinet poena extraordinaria, Judex tam inchoati, quam consummati delicti inquirere, & delinquentem punire potest. *l. i. C. ubi d. crimin.* ibi: aut extra ordinem coercentur. Multi tamen Doctores sta-<sup>25</sup> tuunt in injuria scripta non esse attendendum locum in-  
juriæ scriptæ, sed locum ubi injuriosa scriptura insinuata. Berlich. *Dec. 181. n. 1.* ibique prejud. ibi: Und in diesem Fall nicht der Ort da das Schreiben verfertiget, sondern dahin es gerichtet, anzusehen. Rectius tamen hæc sententia restrin-  
git ad actiones civiles, si scil. agatur ad interesse priva-  
tum, ut probe observat Lauterb. in *Coll. ff. tit. d. Judic.* §.  
50. de quo casu etiam loquitur prejud. Berlichii. Alias <sup>26</sup>  
contraria foret *d. l. i.* si scil. agatur ad poenam extraor-  
dinariam, quod Jure Romano jam tum permissum fuit,  
per clar. text. in *l. fin. ff. d. Priv. delict.* & *l. fin. ff. d. furt.*

Similis fere quæstio: an contra absentem agi possit <sup>27</sup> in loco delicti, si delinquens absens sit? & omnes affir-  
mant, si ciratio delinquenti præsenti adhuc in loco deli-  
cti sit insinuata. Theodoric. in *Colleg. Crim. Cap. 4. apb. 3.*  
*n. 6.* ibi: modo priusquam reus inde aufugiat, ipsi citatio ibi-  
dem sit insinuata; Rauchbar. *p. 1. qu. 50. n. 10.* Berlich. *Dec.*  
*162. n. 7.* & ult.

Ideisque sentiunt de delictis gravioribus, licet cita-<sup>28</sup>  
tio delinquenti non sit insinuata, Carpz. *qu. 110. n. 47.* Phi-  
lip. *ad Dec. Elect. Sax. 89. n. 17.* Zanger. *d. Except. p. 2. Cap. 1.*  
*n. 201.* Herold. *ad L. process. Cap. 33. n. 81. in fin.* Quod  
praxis quotidiana confirmat. In levioribus vero delictis <sup>29</sup>  
hodie communiter desideratur, ut citatio præsenti delin-  
quenti fuerit insinuata, alias absens non citatur. Carpz.  
*L. 2. Resp. 26.* Zanger. *d. Cap. 1. n. 200. seq.* Berlich. *Dec. 162.*  
*n. 7.* ibique prejud. Herold. *ad Lang. proc. Cap. 33. n. 82.* Quæ  
sententia ab *Elect. Saxoniae Decis. 89.* confirmata est, ibi:

D

Wot

Wofern Er aber daselbst weder angefessen ist, noch angetroffen wird, so mag Er auch mit Bestande Rechtens, in injurien oder andern Privat-Sachen, wegen der NB. incompetens alda nicht in Anspruch genommen, noch einige inquisitiones &c.

<sup>30</sup> angesetzet werden. In puncto juris Romani verior sententia, quod absens quoque in leviori delicto conveniri possit in loco commissi delicti *l. Absentem. s. pr. ff. d. pen. ibi: Adversus Contumaces, etiam absentes pronunciari oportet, secundum morem privatorum judiciorum.* Auth. *qua in provincia C. ubi d. crimin. vers. eo autem absente.* Quam sententiam contra Carpz. tuerit Brunnem. *ad d. l. s. n. 4. seq.* notando: in argumentis Carpzovii, in hac questione,

<sup>31</sup> non apparere robur. Eandem sententiam Brunnemann probat Gastei. *in specul. jur. Univ. Cap. 4. n. 52.* Et confirmatur ex doctrina ipsius Carpz. quam adducit *Dec. 191. n. 19. seq.* quam etiam probat Herold. *ad Langii proc. Cap. 32. 33. n. 83.*

Si enim judex foret incompetens, ut quidem Serenissimus Elector Saxonie *Decisio 89.* decrevit, ad eum delinquens non possit remitti hoc effectu, ut judex incompetens invita parte, in causa procedat, omnia enim nulla sunt, *qua Judex decernit incompetens. l. fin. ff. d. Jurisal. Stryck. in Introd. ad prax. Cap. 1. §. 30.*

<sup>33</sup> Verum in hisce Generalioribus me ulterius detinere instituti prohibet ratio. Sed in specie de advocate injuriante moveo questionem: An in foro insinuatæ injuriae puniri possit, si alias ejus forum ordinarium in eo loco non sit? Quod affirm. ex fundamentis antea relatis, forum scil. injuriae scriptæ esse in eo loco, in quo injuria <sup>34</sup> scripta est insinuata. Accedit, milites in judicio militari conveniri de delicto militari *l. 2. C. ubi d. ratiocin. tam publ. quam priv. agi oport.* quibus Advocati comparantur, & quia ex actis principalibus, propter connexionem melius

lius judicii constare poterit, an Advocatus, & quomodo puniendus sit. Testis quoque in eo judicio fortitur forum, in quo delinquit *I. Nullum 14. C. d. Test.* Cujus legis argum. admodum conveniens in nostro casu. Et hæc sententia est communis & probatur Tilemanni de Benigni in *Syntagma. Decif. 3. Decad. 2. Not. 10. n. 18.* Brunnem. ad Auth. *Qua in provincia C. ubi d. Crimin. n. ult. & ad l. 13. ff. d. Injur. n. 11.* Hahn. ad *W. tit. d. Injur. n. 13. ad vb. etiam se cedi.* Mev. p. 5. Dec. 374. n. 5. Gastel. in *specul. jur. Cap. 6. n. 1.* Coch. in *Prax. for. Germ. p. 1. c. 2. §. 29.* Herold. ad *Langii Proc. Cap. 20 n. 106.* Freher. d. existimat. L. 3. Cap. 13. n. 3. seq. & Cap. 8. n. 14. seq. Ruland. d. Commiss part. 4. Lib. 7. Cap. 6. n. 11. Cui sententiæ subscribunt etiam illi, qui alias in 35 privatis delictis contra absentem non agnoscunt forum, ut *Carpz. L. 2. Resp. 27. per tot.* Philip. ad *Dec. Elect. Sax. 89. Obs. 2.* Nec resert, quod Advocatus absens sit, Philip. ad *Dec. Elect. Sax. 89. Obs. 2. n. 12.* ibi: *non obstante, quod ibi non reperiantur, nec domicilium habeant.* Mev. p. 5. Dec. 374. Martin. ad *Ord. Jud. Saxon. Tit. 1. §. 1. n. 74.* Nec id prodest 36 advocoato injurianti, quod in suprema curia Principis sit Advocatus, si enim advocati imunus, coram judice inferiore subeat, & injurias proferat, sive in scriptis, sive dictis, inferioris Judicis Jurisdictionem prorogasse censemur. Frider. Müller. in *pract. rer. for. Resol. 54. n. 7. ibique prejud.*

Dicitis quidem adversari posset præj. quod adducit 37 Herold. ad *Langii proc. Cap. 33. n. 82.* ubi Advocatus injurias contra aliquem dixerat, ibi: *Hat ein Advocat sich ziemlicher schärfen, injuriösen, und verleinerlichen Reden wieder euch vernehmen lassen &c. nihilominus in loco dictarum injuria- rum conveniri non potuit.* Repono enim Advocatum extra judicium adversus aliquem injurias protulisse, non in judicio. Hoc enim certum, quod Advocatus, si forte

in foro alieno causam defendat, extra hanc causam, quam defendit, foro extraneo non subjiciatur. Mev. p. 5. Dec. 297.

38 n. 1. An vero Advocatus injurians, coram judicio, in quo injurias protulit, comparere teneatur, si Judex ipse prætendat, se injuria esse affectum, & hinc punire intendat advocatum? Affirmativa communiter recepta, quod scil. judex injuriam sibi, ut judici illatam, ipse punire possit. Gail. L. 1. Obs. 39. n. 2. seq. Hahn. ad W. tit. d. Injur. n. 6. ad verba. Quin & Magistratus. Carpz. Qu. 95. n. 85. seq. Berlich. p. 5. Concl. 66. n. 39. Mev. p. 5. Dec. 323. Schrader d.

39 Feud. part. 10. sect. 1. n. 110. Ubi hoc applicat ad Dominum feudi, si illi a duobus Vasallis litigantibus injuria fuerit illata. Quia hoc casu non tam suam, quam publicam causam vindicare videtur. Gail. d. Obs. 39. n. 3. Mev. d. Dec. 323. n. 5. Carpzov. qu. 95. n. 86. Quod si ergo talis Judex non sit suspectus, incompetens dici non potest, 40 quia locus delicti tribuit jurisdictionem. Sic Nobiles Jurisdictione superiore gaudentes saepius contra fures, qui proprias Nobilis res vel abstulerunt, vel auferre conati sunt, inquisitiones instituere videmus. Et Nobilem vi Jurisdictionis, in propriam uxorem adulteram, prævio processu, & petita sententia a JCTorum Collegio, pœnam decernere posse præjud. probat Dn. Stryck. in Us. Mod.

41 ff. tit. d. jurisd. §. 29. Adducta tamen sententia de Magistratu vindicante injuriam sibi illatam Brunnem. ad l. 10. ff. d. Judic. n. 2. periculosa videtur, hinc suadet, ut Judex consilium peritorum petat, ne affectibus suis quid dedisse videatur. Imo communiter hæc tria requirunt: (1) ut injuria sit notoria; Hahn. ad W. d. l. n. 6. ad verba: Quin & (2) ut Judici sit illata ut judici; (3) ut pœna sit arbitria, seu non nimis dura. Carpz. Qu. 95. n. 88. & L. 6. Resp. 97.

42 n. 13. seqq. Gail. d. Obs. 39. n. 3. seq. Alii vero in pœna arbitria

traria Judicem pœnam dicitantem non admittunt. Farin. *Qu. 17. n. 45.* & *Qu. 21. n. 130.* Roland. a *Vall. Vol. 2. Consil. 48. n. 16.* Menoch. *Consil. 403. n. 1.* Quam sententiam probare quoque videtur Grævæus ad Gail. *L. 1. Concl. 39. n. 14.* Qui etiam nobis contrarius est, si injurians judicis jurisdictioni non sit subiectus, sed alterius fori, Græv. *d. l. n. 20. in fin.* & *n. seq.* quem sequitur Carpzov. *L. 6. Resp. 97. n. 10.* quod miror. A communi tamen sententia non receden-<sup>43</sup> dum, utpote quæ Jure Canonico fundata *Cap. 1. d. pœn. in 6to ibi: pro injuria hujusmodi (dummodo existat notoria,)* propria autoritate punire. Quam etiam approbat Elector Saxoniae in Dec. supra alleg. 89. *in fin. ibi:* Es wäre denn einer contemplatione & intuitu officii injuriaret. Quæ etiam haud obscure probatur *ex l. Observandum 19. ibi: sed contemni non patiatur ff. d. offic. Presid.* Si igitur Advocatus exterus injuriam judici, in judicio, ut judici inferat, a judice puniri potest, nec impedit absentia seu existentia in alieno territorio, ut in terminis docet Martin. *ad ordin. judic. Sax. Tit. 1. §. 1. n. 74. in fin.*

Si vero Magistratui ut parti, in judicio, adversæ in-<sup>44</sup> juria illata, Magistratus eam solus vindicare nequit, quo tendit præj. Carpz. quod adducit *Lib. 6. Resp. 97.* Quia tunc non ut judex, sed ut pars litigans consideratur.

Denique forum deprehensionis moribus forum est<sup>45</sup> legitimum in delictis. Mev. *part. 4. Dec. 176. n. 1. ibi: Quando ex causa delicti triplex forum competens per jura mundi est redditum, nempe ubi delinquitur, ubi Reus domicilium habet, & ubi reperitur.* maxime cum hodie remissiones delinquentium sint urbanitatis. Carpz. *Qu. 110. n. 54.* Stryck. *in Us. Mod. ff. Tit. d. Judic. §. 26.* Richt. *Dec. 15. n. 3.* Ita ta-  
men, ut judex peregrinum puniat juxta leges & statuta

loci, ubi delictum admisit, non vero juxta statuta loci deprehensionis. Ziegler. d. Concl. 15. §. 47.

46 Verum cum judex deprehensionis non nisi in gravioribus delictis in alio loco commissis inquirere soleat, Ziegler. d. offic. judic. Concl. 15. §. 46. nec ullum mihi, penes Doctores pervolutos, reperire casum licuerit, quod judex deprehensionis advocatum ad poenam vocaverit; quod in alio judicio injurias protulerit, hinc pluribus hoc forum inquirere non lubet, sed ad ipsam poenam nunc progredior.

## CAP. IV.

### DE

## POENA ADVOCATI INVIRIANTIS.

### SUMMARIA.

<b>I</b> N Judicio non admittende sunt injurie. n. 1. seq.	Sententia tamen stricte interpre- tanda. n. 18. seqq.
<b>A</b> dvocatus injurians punitur, quando injuriosa delere tenetur. n. 6. seq.	Quando relegatio decernitur. n. 25. Vel infamia n. 26.
<b>Q</b> uando judex injuriosa delet. n. 8. seq.	Vel pena criminalis. n. 27.
<b>Q</b> uando multa ei imponitur. n. 13. seq.	An Vasallus advocatus contra Do- minum feudi, amittat feudum? n. 28. seq.
<b>V</b> el carceri includitur. n. 15.	An donatarius donationem? n. 33. seq.
<b>V</b> el ad Palinodiam vel deprecatio- nem condemnatur. n. 16.	An Advocatus injurians puniri possit sine novo processu? n. 38. seq.
<b>V</b> el suspenditur vel removetur. n. 17.	An lite adhuc durante n. 41. Quando pena sit mitior. n. 42. seq.

Per

**P**er judicium injuriis aditum patere non debere, rectis-<sup>r</sup>  
sime Papa Innocent. 3. Cap. Nonnulli 28. d. Rescript. in  
6to constituit, quia in judicio jus & iustitia administrari  
& coli. debet, non peccari contra jus. arg. l. 1. §. 1. ff. d.  
Just. & jur. ibi: *cujus nos sacerdotes appelle*t. Injuriæ vero 2  
& convicia sunt delicta; per tot tit. Inst. & ff. d. *Injur.* male  
ergo leges, pro suis clientibus invocat, qui contra eas  
committit, Tryphonin. l. Auxilium 37. in fin. ff. d. Minor.  
Nec juvando clientes, alios offendere debent, imo con- 3  
vicia non profunt, sed nocent clientibus & ipsi advocato,  
si enim adversarium conviciis onerent, longe difficilior  
fiet transactio, quæ tamen quandoque bonis verbis, felici  
obtineri potest successu, si Adversarii advocatum injuriis  
& conviciis pungat, sæpe vel gravioribus injuriis onera-  
tur juxta vulgatum illud: *Wie man ins Holz schreitet, so 4*  
*schreitet es wieder heraus,* licet hunc morem non probem,  
sæpe nova contra injuriantem instituitur actio injuria-  
rum, & sic lis ex lite oritur. Quod si judicem injuriosis  
invadat verbis, hujus amittit favorem, ut non male di-  
xerit, quisquis dixerit:

*Perdunt sæpe bonam furor & convicia causam.*

Et vel se, vel clientes in calamitates inducunt: Klock, Vol. 5  
4. Consil. 69. n. 22. in fin. seque cum dedecore prostituunt.  
Cum vero malos non tam virtutis amor atque gloria,  
quam imminens poena deterreat, hinc jura nostra Advo-  
catum injuriantem non sine poena dimiserunt.

Et prima quidem poena, eaque levissima est: *si scri- 6*  
*pta injuriosa, advocato injurianti restituantur cum mandato: ut*  
*injuriosa delcat.* Eo modo judices uti solent, quando prima  
vice, aliqua, quæ pungunt adversarium, ejus advocatum  
vel judicem proferuntur, non tamen graviores sunt injuriæ,  
& quando metuit judex, ne ad graviores injurias partes  
per-

7 perveniant. Et hoc casu pro emendatione scripti injuriosi honorarium petere nequit. *Ord. Camer. Imper. p. 1.* *Tit. 52. von Straff der Advocaten.* ibi: Und ihm dafür nichts taxiret. ex quo Tit. 52. patet, quod publica quoque rejectio inter penas referatur, & major quam si privatim reddatur advocato emendandum.

8 Secunda levissima poena priori fere similis est, quando judex ipse verba injuriosa delet, quo modo uti solet, quando causa celeriorem expeditionem requirit, & unum 9 alterumve epitheton tantum injuriosum videatur. Dubitari quidem poterat, an judex ipse, producta & scripta advocatorum corrigere & mutare possit, siquidem judex illa quidem, quae in jure consistunt, supplere potest per Rr. C. ut quae desunt advocatis partium, judex suppleat. non vero quae in facto consistunt l. Cives n. C. d. Appellation. vid. plur. Carpzov. p. 1. C. 25. d. 1. & Mev. p. 1. Dec. 87. Martin. ad Ord. judic. Saxon. Tit. 1. §. 1. n. 110. seq. Verum si judex verba tantum injuriosa debeat, salvo sensu, nihil in facto mutat vel supplet, hinc & pars, & Advocatus injurians hanc humanitatem, non acerbo sed benigno suscipere 11 debent animo. Quod si vero advocatus officium judicis invadat & deneget ei facultatem in tali causa procedendi, vel judicandi, tunc judex non adhibeat traditos hosce duos modos, ne exceptionem incompetentis vel deficiens jurisdictionis, sine cognitione, partibus denegasse videatur, sed vel adversam partem vel fiscalem super hac exceptione audiat, vel per modum decreti se competentem pronunciet l. 5. ff. d. Judic. vel aliis legitimis remedii 12 se suamque jurisdictionem defendat. Sic in Consistorio Advocato fisca injunctum, ut contra partem & advocatum agat, qui Serenissimo in causa stupri spe matrimoni illati, in scriptis denegaverant jus, in Consistorio cognoscen-

gnoscendi, si causa concernat rusticos & homines proprios Mecklenburgicos. In Causa B. d. Pl.

Tertius modus coercendi advocatum injuriantem <sup>13</sup> est mulcta pecuniaria, in Recess. Imp. & hodierna praxi potissimum fundata. In Ord. Cam. Imp. Part. 1. Tit. 52. minima poena pecuniaria, ibi: Einen Gulden zu Straff geben, est unius floreni, qui continet  $\frac{1}{2}$  thaleri. In Saxonia & plerisque Judiciis, hodie quinque vel decem thaleri dititari solent. Nicol. in proc. p. 1. Cap. 6. n. 9. Quandoque <sup>14</sup> tamen pena ad 50. vel 100. florenos vel thaleros extendi solet. Carpz. L. 3. Resp. s. n. 36. ibi: Und seyn die Advocaten ohne Weitläufigkeit und injurien beh. Vermeydung 100. fl. Straffe der Parthehen Nohldurst vorzubringen pflichtig. Quo respicit Ord. Cam. Imp. Tit. 52. ibi: Mit hoher Geld. Vpn zu straffen. Fabric. ad Mysing. Cent. 5. Obs. 53. ibi: Advocatis injuria scripta proferentibus, sepe marca auri puri persolvenda, injuncta fuit.

Quarta poena est condemnatio ad carcerem, d. Ord. <sup>15</sup> Cam. Imp. Tit. 52. ibi: Mit Strickung etlicher Tage in einem Gemach, so dazu verordnet, zu bleibent. Ex quibus, & sequentibus tamen verbis, apparet, quod in honestiori hypocastro constringendi sint Advocati, nisi delicti gravitas, gravorem quoque urgeat carcerem.

Quintus modus est Palitodia vel deprecatio, dignitas enim non praebet immunitatem injuriandi, nam & Comes ad recantationem in propria persona faciendam condemnatus est, teste Finckelth. Obs. postb. 16. n. 9. Deprecatio vero non est adeo odiosa ut recantatio. Mev. p. 6. Dec. 88. Brunnem. ad l. 5. ff. d. Injur. n. 4. adeoque in iuriis non adeo gravibus decerni debet.

Sexto quandoque decernitur advocato injurianti <sup>17</sup> suspensio vel remotio ab officio, & interdicitur Advocatura

- tura per *Ordin. Camer. Imp. p. i. Tit. 52. §.* Und über ibi:  
 18 Zeitsicher oder gänzlicher Entsezung seines Amts. Verba autem sententiae remotionis accurate consideranda & stricte interpretanda sunt. Quibus enim advocationibus in quinquennio interdictum est, post quinquennium pro omnibus postulare non prohibentur. Papinianus in *l. Imperator. 8. ff. d. postul.* Et quando in sententia exprimitur, quod Advocatus apud se Magistratum, advocationem praestare non debeat, apud successorem ejus, advocationis munus vicissim subire non prohibetur *per l. Puto autem 6. in fin. ff. d. postuland.* Ex eodem fluit principio, quod advocatus in uno judicio remotus, in alio Judicio advocati officio fungi possit *l. Ex ea causa 9. ff. de postuland.* Quia spes emendationis adhuc supereft, qui enim semel punitus, ille cavere se præsumitur, ne in idem denuo incidat delictum.
- 21 Ex dictis prolixum moyetur dubium a Doctoribus: an advocatus remotus, consiliis & scriptis litigantibus inservire possit? Negat Umn. in *process. Disp. 2. n. 26.* plerique Doctores in mitiorem inclinant sententiam, & advocatum remotum admittunt *Wesenb. ad ff. Tit. d. postul. n. 5.* ibique Hahn. Brunnem. *ad L. 6. ff. d. postul. n. 2.* Lauterb. in *Colleg. ff. eod. Tit. §. 15.* Tabor. *ad W. Disp. 9. q. 7.*
- 22 Quorum sententiam admitto, si Judex in sententia dixerit: Der Advocat soll nicht mehr vortreten. Non admitto, si dixerit: Er soll gar nicht mehr advociren weder Judicialiter noch extrajudicialiter. Cujus exemplum refert Gylman. in *Sympor. Suppl. Camer. Tom. 2. part. 2. Vot. 14.*
- 23 Dicta haec tenus generaliter limitanda sunt, nisi advocatus cum infamia fuerit remotus arg. *l. Ex ea 9. ff. d. postul.* ibi: que infamiam non irrogat. Advocatorum enim officium admodum est honorabile, *l. Advocati 14. C. d. Advocat.*

vocat. I. Ergo infamis non potest esse advocatus l. i. §. 6. 24  
*ff. d. postul.* ubi plures recensentur, in dubio tamen infamia  
 advocato injurianti non videtur illata, licet ei ob  
 convicia aliqua pena sit imposta, quicquid enim in sententia  
 puniente advocatum diserte non est expressum, id  
 regulariter non continetur. *dd. text.* Quam sententiam  
 praxis quotidiana firmat, quia advocatis ob convicia sae-  
 pius mulcta imponitur, qui tamen eo nomine a munere  
 advocatorum non arcentur.

25 Septima pena quandoque est relegatio, si gravis sit  
 injuria, quae olim Brunswigæ O. decreta, quam tamen  
 raro dictitare solent judices.

Octava est infamia, *l. Quisquis* 6. §. 1. *C. d. postul.* ibi: 26  
*opinionis sue imminutionem patietur*, quæ verba communi  
 interpretum consensi de infamia interpretantur. Berlich.  
*p. 1. Concl. 9. n. 23.* Nicol. in proc. p. 1. Cap. 6. n. 9. pag. mibi  
 69. Winther in partben. litigios. *L. 1. Cap. 7. n. 14.*

Nona pena quandoque erit corporalis vel capitalis, 27  
 si scil. tam graviter injuriis peccet, ut alius quoque pœ-  
 nam corporalem vel capitalem luat. Vid. *l. un. C. d. famos.*  
*libell. Autb. sed novo C. d. Episcop. & Cleric.* Carpzov, *p. 4. C.*  
*43. def. ibique alleg.*

Decimo advocatus injurians, si Vasallus, & injuriis 28  
 afficiat Dominum feudi, feloniam committit, adeoque  
 feudo privandus est. 2. F. 33. §. 1. juncto 2. F. 24. §. 2. Gra- 29  
 viter quidem Doctores dissentunt, an advocatus ex eo  
 solo, feudo privandus sit, quod contra dominum advocati  
 sustineat officium? Vid. Rosenthal. *d. feud.* Cap. 10. Concl.  
 35. Affirm. defendit Christin. Vol. 2. Dec. 99. n. 34. Hahn.  
*ad W. tit. d. postuland. n. 5. ad vb. Vasallo.* Umm. in proc.  
*Disp. 2. n. 28.* propter reverentiam domino feudi debi-  
 tam 2. F. 6. Alii distinguunt: an ex liberrima voluntate 30  
*advo-*

- advocati officium contra dominum suscipiat, & tunc eum feudo privari, non, si officii necessitate coactus sit. arg. l. 5. §. 13. & l. 22. ff. quib. ut indign. Zesius d. feud. part. 3 1 10. n. 42. Et ultima quidem sententia certa, hinc bene fibi prospiciunt advocati, si superioris mandatum experient, ut causam contra Dominum suscipient. Gail. L. 7.
- 3 2 Obs. 88. n. 5. Verum generaliter dixerim Vasallum advocating contra dominum, si modeste fundamenta sua proferat, feudo non esse privandum, quia nullam continet injuriam, si quis justam defendat causam. arg. l. 13. §. 1. ff. d. injur. Et hanc sententiam in curiis feudalibus receptam esse testatur Tabor ad Wesenb. Disp. 9. Qu. 6. Lauterb. in Coll. ff. tit. d. postul. §. 14. Causam criminalem excipio 2. F. 33. §. 1. ne sanguinem Domini fitire videatur.
- 3 3 Similis fere quæstio: An donans ab advocate donatario donationem revocare possit, si hic contra donantem advocate sustinuerit officium? quod etiam affirm. Gail. L. 1. Obs. 88. n. 6. Bachov. ad Tr. Vol. 1. Disp. 8. tb. 2.
- 3 4 lit. G. Negativa verior, quia haec causa in l. ult. C. d. revoc. donat. non continetur, & qui honeste suo fungitur officio, nemini facit injuriam, idque mecum sentiunt Perez. ad C. d. Postul. n. ult. Lauterb. in Colleg. ff. tit. d. postul. §. 14.
- 3 5 Esbach. ad Carpz. p. 1. C. 1. def. 21. Cum ne quidem advocate puniendus sit, si in justa causa, modeste, contra Magistratum præstet patrocinium. Carpz. p. 1. C. 1. def. 21. Mev. p. 1. Dec. 155. Nicol. in proc. p. 1. cap. 6. n. 9 f. 71. Lauterb. in Coll. ff. tit. d. postul. §. 13. Longe majori autem vinculo subditus obstrictus est magistratu, quam donatarius donator. Si vero donatarius contra donantem vel Magistratum gravioribus injuriis utatur, quin donatione privari, d. l. fin. C. d. revoc. donat. & subditus puniri possit nullus

nullus dubito, quo etiam collimat limitatio DD. quando<sup>37</sup> docent, donatarium advocatum tum donatione privari, si dolose contra donantem verba faciat, & ei grave hac ratione damnum inferat. Zœf ad ff. tit. d. postul. n. 5. Perez ad C. cod. tit. n. ult. add. Brummel. ad L. 10. ff. d. postul. n. 4.

Lustravi hactenus varias advocati injuriantis penas, <sup>38</sup> nunc restat videndum; quo tempore de injuriis prolatis puniri possit, an statim, sine novo processu? quod communiter affirm. Mev. p. 5. Dec. 374. n. 5. ibi: neque opus, ut ordinarius instituantur processus. Winther in Pariben. litigios. L. 2. cap. 7. n. 15. ibi: Et injuriantes se invicem statim, in conspectu, arbitrarie puniri. Frideric. Müller. in prax. forens. March. Resolut. 54. n. 6. ibi: sine novo processu. Carpz. L. 2. Resp. 62. n. 12. & L. 3. Resp. 5. n. 34. ibi: iisque statim penam arbitriariam dictitet. Quam sententiam praxis quotidiana firmat, saepius enim advocati propter injurias puniuntur in sententia, licet advocati specialiter ad audiendam sententiam in sua causa, non sint citati. Cum tamen jure communi, sententia contra non citatum lata, ipso Jure sit nulla L. 1. §. 1. ff. d. feriis. I. De unoquoque 47. ff. d. Re judic. I. Ea quo 7. C. quomodo &<sup>39</sup> quando judex. Clement. saepe S. sententiam de V. S. Carpz. L. 6. Resp. 117. n. 6. Ratio vero <sup>39</sup> hujus specialitatis, quod advocati separatis non citentur ad audiendam sententiam in puncto injuriæ illatæ, est, quod considerentur ut personæ accessoriæ, quæ ut plurimum praesentes adesse solent partibus in audienda sententia. Si vero non adsint, petere tamen solent sententia tenorem. Quod si vero contingat advocatum in alio esse loco, quam in quo publicatur sententia, hæc advoco-  
to non præjudicat, nisi a die scientiæ. In Ducatu Meck-  
lenburgico Advocatus fisci saepius intervenit, & petit, ut partes propter injurias in scriptis adductas puniantur,

quod tunc sine mora fieri potest. Verum quid si advoca-  
cati excipiant: se ad hanc causam non esse citatos? Resp.  
Judicem, non obstante hac exceptione, injungere posse  
advocatis, ut illa, quæ pro sua defensione adducere vo-  
lunt, addueant, alias statim ferri poterit sententia, quia  
acta inducunt notorium, in notoriis vero non opus est  
40 ulteriori causæ cognitione. Mev. p. 5. Dec. 374. n. 9. Quid  
si vero advocati urgeant, quod acta prius perlustranda  
sint? Resp. hoc casu dilatio iis denegari non potest, cum  
nemini, ne in notoriis quidem, defensio deneganda sit.  
Quod in Cancellaria Rostoch. observatum fuit in causa  
Fiscalis contra Advocatos d. H. & d. V. Nam si alter  
advocatus se provocatum prætendat, vel ex hac unica  
exceptione, audiendus est, si id urgeat. Cavendum ta-  
men hoc casu advocatis, ne punctum injuriosorum sepa-  
ratim tractent, ne alias expensæ augeantur, sed scriptis  
in causa principali producendis, in fine annexatur exce-  
ptio contra fiscalem in puncto desideratae pœnae ob inju-  
rioſa.

41 Dictis haec tenus obſtare videtur I. Siquidem io. C. d.  
injur, quod seil. de injuriis judicari non possit, niſi lite  
finita. Quod etiam docet Gothman. Vol. 3. Resp. 23. n. 189.  
seq. ubi addit: Et secundum hæc in judiciis & curiis promun-  
ciari, & actio super talibus injuriis instituta differri, & ad fi-  
nem litis, principalis rejici solet. Resp. enim haec tunc vera,  
ſi ex ipſa lite oriatur actio injuriarum, non ſi occaſione  
litis. Mev. p. 5. Dec. 374. n. 7, hoc eſt, ſi advocati præter  
neceſſitatem verba injuriosa protulerint. Hinc beatus  
Cothmannus ſe explicat Vol. 2. Resp. 88. n. 17. seq. Conſen-  
tit quoque Oldekop, contra Carpz. Decad. 4. Qu. 4. n. 16.  
Brunnem, ad l. 13. ff. d. injur. n. 11.   
Dicta haec tenus limitanda eſſe censeo, ſi gravis poena  
advo-

advocato sit imponenda, qualis est infamia, vel remotio ab officio, sic enim plena defensio advocato concedenda, adde Winther. *in Partben. litig. L. 2. Cap. 7. n. 16.*

Advocati injuriantis puniendo vulgaris solet esse ex-<sup>42</sup>  
cusatio se provocatum animo se defendendi, injuriosa scribere  
necessum habuisse. Quam excusationem probare videtur  
Berlich. p. 1. Concl. 9. n. 25. Nicol. *in proc. part. 1. cap. 6. n.*  
*9. fol. 69.* Martin. *ad ordin. Judic. Saxon. Tit. 43. §. 1. n. 27.*  
Quam sententiam etenus admitto, quod provocatus mi-<sup>43</sup>  
tiori afficiendus sit pena, non vero, quod ab omni pœ-  
na sit immunis.

## CAP. V.

### DE

## REGESSV ADVOCATI INJURIANTIS AD CLIENTEM.

### SVMMARIA.

<b>A</b> Dvocato datur regessus con-	Nec prodest clausula indemnitatis
tra clientem. n. 1. seqq.	n. 13.
Quatenus hoc sententia vera? n. 6.	Nec renunciatio specialissima n. 14.
seq.	Nec jurata. n. 16. seq.
An per litis denunciationem liti	Quid de Cautela Dn. Stryckii ha-
eximatur. n. 9. seq.	bendum: ut curet sibi pecuniam
Si advocatus preter necessitatem &	pranumerari n. 18. seq.
utilitatem injuriosa scribat, non	Quid si cliens panam ultro restituat?
habet regressum contra clientem	n. 25. seq.
mandantem. n. 12.	

**V**Idimus advocatione injuriantem punitum, nunc restat <sup>1</sup>  
ut consideremus, an ei superest solatium, ex regressu  
litis contra clientem, si ejus mandato injuriosa in judicio  
dixerit vel scripserit. Affirm. defendit Berlich. *Dec. 75. n. 5.*  
seq.

seq. quem sequitur Oldekop. *Tract. contra Carpzov. Decad.*  
 4. *Qu. 4. n. 3. seq. Esbach. ad Carpzov. p. 1. c. 1. def. 19. ad*  
 2 *n. 8.* Rationes illorum sunt, quod advocatus id quod  
 scripsit vel dixit, ex officii necessitate dixerit vel scripse-  
 rit, ad sui clientis utilitatem, quod ipsi permisum. *I. Quisquis 6. §. 1. C. d. posst. ibi: ut non ultra quam litium*  
 3 *poscit utilitas, in licentiam conviciandi & maledicendi temeri-*  
*tatem prorumpant.* Quatenus ergo litium poscit utilitas,  
 verbis injuriosis uti potest & debet. Maxime si cliens  
 urgeat, ut verba adhibeat asperiora, quoties enim solus  
 mandans est in dolo, non vero mandatarius, toties solus  
 mandans punitur, non vero mandatarius. *I. si quis 7. §. ult.*  
*ff. d. jurisdict. ibi: sed si aliis sine dolo malo fecit, aliis dolo*  
 4 *malo mandavit, qui mandavit, tenebitur.* Quod si applice-  
 tur ad advocationem-mandato clientis injuriosa scribentem,  
 advocatus mandatarius non est in dolo, quia fidem habuit  
 suo clienti, ergo ob injuriosa non tenetur, sed cliens, qui  
 4 mandavit, tenebitur. Et licet alias ex verbis per se in-  
 jurirosis, animus injuriandi presumatur ac colligatur: *I. si*  
 5 *non convicci 5. C. d. injur. ibique DD. Mev. p. 1. Dec. 51. n. 5.*  
 attamen presumtio, quae ex officii necessitate desumitur,  
 hanc presumtionem dolii tollit & vincit *arg. I. Post legatum*  
 5 *5. §. 9. & I. Tutorum 22. ibi: quia officii necessitas excusata esse*  
*debet ff. d. bis que ut indign.* Nam si duæ concurrant præ-  
 sumtiones, una delicti inclusiva, altera delicti exclusiva,  
 tunc præferenda est presumtio, quæ delictum excludit,  
 quia iura priora sunt ad absolvendum, quam ad con-  
 demnandum *I. Arianus 47. ff. d. obl. & act.* Accedit ex-  
 pressum pactum inter clientes & advocationis iniri solitum,  
 quo clientes promittunt advocationis indemnitatem, Ger-  
 manice efferri solet: auch Ihn jederzeit vertreten und Schad-  
 los halten. Nihil vero tam congruum fidei humanæ,  
 quam

quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare l. i. pr. ff. d.  
pact.

Nec alienus sum ab hac sententia, si advocatus jus-  
su clientis urgente causæ necessitate & utilitate, talia in-  
juriosa scribere necessum habuerit, ad quém casum et-  
iam Oldekop contra Carpz. d. Dec. 4. qu. 4. suam senten-  
tiā expresse restringit, & cum eo Esbach. ad Carpzov.  
d. def. 19. n. 8. & Gafstel. in specul. jur. univ. Cap. 16. n. 58.  
Cui quidem contrariari videtur, quod advocatus dictis 7  
sui clientis fidem habere non debeat, sed quod in nar-  
ratorum veritatem inquirere, & præcipue in periculis  
probationem exigere debeat. Verum quia probatio non 8  
fit advocato, sed Judici, nec testes semper ad manus sint,  
ut advocatus ex illis veritatem percontari possit, hinc  
advocatum adhuc immunem dixerim ab actione injuria-  
rum, vel ad minimum petere potest, ut cliens eum ser-  
vet indemnum, quia verbis & narratis clientis sui fidem  
habere debuit, cum veritatem alia ratione, commode  
percipere non potuerit. Et licet ponamus, advocatum  
aliquam commississe culpam, hæc tamen actionem inju-  
riarum vel gravem pœnam mereri non potest arg. L. 7. ff.  
ad L. Corn. d. Sicar.

Fingamus autem, advocatum actione injuriarum 9  
vel a parte adversa, vel a fiscali pulsatum esse, an item  
denunciando clienti, liti eximitur, ita ut lis in clientem  
transferatur? Id quidem velle videtur Berlich. Dec. 75.  
n. 5. ibi: *tunc is merito suo clientulo item, ad hoc ut is eius*  
*suis sumtibus indemnum servet, & NB. Judicium in se susci-*  
*pit, denunciare potest.* Similia sunt verba Oldekopii d.  
qu. 4. n. 4. ibi: *Si advocatus injuriarum pulsetur, eum meri-*  
*to suo clienti item denunciare, ad judicium in se suscipendum,*

*suis sumtibus prosequendum, & patronum indemnem conservandum.* Idem probat Esbach. *ad Carpz. P. 1. C. 1. def. 19. n. 18.* Gastel. *in specul. jur. cap. 16. n. 58.* Nominatio enim autoris nominantem plane eximit liti, & eam transfert in nominatum *l. 2. C. ubi in rem actio.*

**I 0.** Contrarium tamen verius est, nam ex injuriosa scriptura regulariter obligatur & scribens & mandans *l. 5. C. d. Accusat.* ergo uterque conveniri potest, & licet advocatus habeat regressum contra clientem, vel litis denunciationem, ut cliens ei adiustat, regressus tamen non tollit actionem, quam ex delicto habet injuriatus *arg. l. 1. §. 17. ff. d. exercit. action.*

**I 1.** Et in eo differunt litis denunciatione & exceptio nominationis, quod haec aliquem liti eximat, illa non Brunnem. *in Proc. civ. cap. 11. n. 11.* In praesenti vero casu non obtinet exceptio nominationis, utpote quae tantum in actionibus realibus locum habet, si quis rem alterius nomine possidet *l. 2. C. ubi in rem act. sed exceptio liti denunciationis.* Posset tamen advocatus clientem constituere procuratorem in rem suam, quia litis nomine contra eum habet regressum. *Dn. Praef. in Syn. ff. tit. d. Procurat. n. 4.*

**I 2.** Si vero Advocatus praeter necessitatem & causae utilitatem verbis usus sit injuriosis, ex mandato sui clientis, se excusare non potest *l. Non ideo 5. C. d. Accusat.* Oldekkop. *contra Carpz. Dec. 4. qu. 4. n. 11. seq.* Carpz. *L. 2. Resp. 62. per tot.* Herold. *ad Langii processum cap. 20. n. 106. in fin.* Gastel. *in specul. jur. cap. 16. n. 57.* Nec punitus regressum habet contra clientem per *Ordin. Camer. Imp. part. 1.*

**I 3.** *Tit. 52. §. ult.* Quia ex re turpi, inter mandantem & mandatarium nulla oritur obligatio vel actio *§. 7. In stat. d. Mand. l. 6. §. 3. & §. 7. l. 12. §. 11. l. 22. §. 6. ff. Mandat. Licet*

cet ergo clausula indemnitatis promiserit cliens advoca-  
tum indemnem servare, attamen in hoc casu, promissio  
non est obligatoria d. l. 22. §. 6. *Mandat.* ut in terminis  
docet Stryck. in *Caut. Contract. sect. 2. cap. II. §. 6.* & in in-  
trod. ad *prax. cap. 10. §. 7.* Poenam enim, quam ex delicto  
suo præstítit, recuperare non debet *l. qui proprio 46. §. Item*  
*contra s. ff. d. procur.*

Quid si vero Cliens huic juri specificice renunciet,<sup>14</sup>  
an advocatus tunc habebit regressum contra clientem ad  
poenam repetendam? si v. g. dixerit: Ob er wol wüste,  
dass ein Advocat, wenn er wegen der Injurien gestrafft wür-  
de, keinen regress hätte wieder den Clienten, so wolle er doch  
diesem juri specialissime in optima juris forma, renunci-  
ret haben. Evidem in quibusdam casibus specialis re-<sup>15</sup>  
nunciatio suo gaudet effectu, licet generalis sufficiens  
non sit *l. sed & 4. §. 4. ff. si quis caut. in judic. sif. caus. fact.*  
*non obt.* in præsenti tamen casu omni destituitur effectu,  
quia esset pactum de dolo futuro, quod non valet, *l. si unus*  
*27. §. 4. ff. d. pact.* & quia contra legem prohibentem,  
nulla valet renunciatio *l. 38. ff. d. pact.* in nostro vero ca-  
su adsunt leges prohibentes *d. l. 46. §. 5. ff. d. procurat.* ibit  
recuperare non debet. & *Ordin. Camer. Imper. p. 1. Tit. von*  
*Straf der Advocaten 52. §. ult. ibi:* Welcher Procurator  
obgemelter massen gestrafft, der soll bei seinen Pflichten und  
Eiden, die Er zum Kammer-Gericht gehahn, von seinen clien-  
ten solche Straff, ihm wieder zugeben oder zu erstatten nicht  
begehren.

Ex iisdem fundamentis statuo nec juratam renun-<sup>16</sup>  
ciationem effectu gaudere. Utut enim juramenti in  
conscientia, jure canonico & praxi magnus sit effectus,  
ita ut omne juramentum, quod sine dispendo salutis ser-

vari possit, servandum sit c. Cum contingat 28. X. d' jure  
 17 jur. ibique DD. Attra men eo non est extendenda hujus  
 efficacia, ut vinculum fiat iniquitatis, & incitamentum  
 delicti. Hahn. ad IV. tit. d. SCt. Macedon. n. 3. circa fin.  
 Harprecht. ad §. ult. f. quod cum eo n. 27. Turpia enim  
 sunt impossibilia moraliter I. Filius 15. ff. d. condit. insit.  
 Impossibilium vero nulla nec jurata est obligatio, Stryck.  
 in Caut. contract. sect. 1. cap. 4. §. 12.

18 An ergo nulla superest cautela? resp. nulla. Excell.  
 quidem JCTus Dn. Sam. Stryck. in introd. ad prax. cap. 10.  
 §. 7. Quod si, scribit, cautelam hic desideret advocatus, quis  
 forte ex mandato principalis, verba injuriosa scriptis inserere  
 tenetur, petat a principali, ut sibi tantum pecunie prenumoret,  
 quantum loco pena probabiliter exsolvendum. Similia de hac  
 docet cautela in Caut. Contract. sect. 1. cap. 3. §. ult. ubi  
 subjicit rationem. Sic enim advocati tanquam possiden-  
 tis causā, in pari turpitudine melior foret, nec condi-  
 tioni locus eslet.

19 Utū maxima hujus prælaudati JCTi fit autoritas,  
 tanta tamen non est, ut credam, hanc cautelam vel legi-  
 bus, vel pietati esse convenientem, vel securitatem ad-  
 vocato injuriandi præstare. Et pietatem quidem laedit  
 talis advocatus, qui ob injurias in alium evomendas pe-  
 cuniā capit, quia scit se versari in actu illico, propter  
 quem pena sit afficiendus, & nihilominus reclamante  
 conscientia, propter acceptam pecunia summam eum  
 peragit. Securitatem vero advoco non præstat hæc  
 cautela, utū enim cliens, qui injuriosa mandavit, solutam  
 pecuniā repetere non possit, l. Et generaliter 3. §. 3. ibi:  
 non habebit ipse repetitionem, turpiter enim fecit. ff. d. Calu-  
 mniat. fiscus tamē vel iudex eam ab advoco non tan-  
 rum

tum exigere, *i. Lucius 9. in fin. ff. d. jur. fisc.* sed & advo-<sup>21</sup>  
catum, propter insignem dolum graviori, quam alias ei  
dictitasset, pena afficere potest. Revera enim calu-  
mniator est talis advocatus, qui pecuniam accipit, ut  
alium injuriis, in judicio lacefferet, ergo actione in factum  
de calumniatoribus conveniri poterit ad quadruplum ac-  
ceptae pecuniæ exsolvendum *i. i. pr. ff. d. Calumniat.* Quod <sup>22</sup>  
si excipias: supponendum esse, talem adhibitam caute-  
lam in notitiam aliorum non pervenire, simile erit con-  
silio, atque si alicui furtum svadeas, addito hoc suppo-  
sito: ne in notitiam aliorum perveniat, sic commodum  
sine pena possideret.

Merito ergo repero verba excellentissimi Dn. Stryck.<sup>23</sup>  
*in Cautel. contract. Sect. 1. cap. 1. §. 8.* ibi: Apparet inde,  
quod que contra legem adhibetur cautela, hoc nomen non me-  
reatur: Idemque probat Dn. Schilzer. Exercit. ad ff. 10.  
*ib. 58.* nullam scil. esse cautelam, si salvis verbis quis  
verba legis circumveniat. Conferamus nunc verba *Ord.*  
*Camer. Imp. p. 1. Tit. 52. §. ult.* ibi: Oder zu erstatten nicht be-  
gehrn. *vid. n. 15. b. c.* ergo nec petere ut prænurheretur.  
Et ut eo clarius omnis similis cautela excludatur, Impe-<sup>24</sup>  
rator & Rex Romanus cum statibus Imperii in *d. Tit. 52.*  
*§. ult.* ulterius subjecerunt: Solche Straff ihm wieder zu  
geben, oder zu erstatten nicht begehrn, oder auch, da ihm dies  
selbige angeboten, welcher gestalt, oder NB. in was Schein das  
beschehe, nicht annehmen. Ecce si cliens ultro offerat pe-<sup>25</sup>  
cuniam injuriarum nomine exsolutam, advocatus eam  
recipere non debet, quo ergo colore exigere posset, ut  
prænumeretur, *d. §. ult.* ibi: in was Schein das beschehe.  
Merito ergo de hac cautela idem dixeris, quod Schilzer.  
*d. th. 58. de alia:* *Cave, ne ipsa utaris in perniciem animæ*

tus

26 tue. Ex dictis appareat, ne Fabricii quidem ad Mynt.  
Cent. 5. obs. 53. tutam esse sententiam, quando statuit: Si  
vero cliens sponte sua, procuratori id refundere velit,  
procurator id ipsum, bene a cliente suo accipere poterit.  
Constitutio enim Imperii hoc casu non tantum prohibet  
aliquid petere, sed & oblatum recipere, ibi: nicht anneh-  
men. Et in hisce quiesco, Summo Numini devotis-  
simas pro assistentia clementissima agens  
gratias.

F I N I S.




**ULB Halle**  
003 632 89X

3







erh. 3  
6

IOHANNIS IOACHIMI  
SCHOEPFFERI,

ICTI

ET IN ACAD. ROSAR. ANTECESS. CELEBERR. COM. PAL.  
CAESAR. CONSISTORII DVCAL. CONSIL. ET CAN-  
CELLARIAE MECKLENB. VICE - DIRECTORIS  
GRAVISSIMI

COMMENTATIO  
DE  
ADVOCATO  
INIVRIANTE.

Oder  
Vom  
Schmähenden Advocate.



ANNO M DCC XLI.

